



7026. 11 B. 5.

V





JOSEPHI GREG. LENAZ,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS, ET CÆSA-
REO-REGII PROFESSORIS PUBL. ORD. ET
ALTIORUM SCHOLARUM DIRECTORIS
IN ACADEMIA LABACENSI &c.

DISSERTATIO

DE

POTESTATE
ECCLÉSIASTICÆ
CIVILIS,

ET

EARUMQUE CONSONO, ET RECI-
PROCO NEXU IN CONCILIORUM PRÄ-
CIPUE ADITU, PROGRESSU, ET
EXITU.

Et erunt Reges Nutritii tui.

Isaiae XLIX. 23.



L A B A C I,
LITERIS IOANNIS FRIDERICI EGER.

1778.



0300-31-017

0300 35948



STUDIOSIS LABACENSIBUS

PROGRESSUM.

C^{onstitueram}, privatis char-
taceis meis continere hanc,
quam vobis propino, lu-
cubrationem. Sed tempora aliud
suggererunt consilium. AUGUSTIS-
SIMÆ CLEMENTIA novis auctus
curis intellexi, nihil mihi esse ne-



gligendum, quod ex re vestra esse cognoscerem. Caremus hic Bibliothecis, quas adiretis. Multos novi impares libris emendis, ex quibus majus conquireretis lumen scientiarum, quibus laudabiliter vacatis. Ne igitur deessem, si quo modo possum, conjeci mentem ad ea, quæ proxime aderant, & quæ de Utraque Potestate differui. Non displicuerunt iis, quibuscum eadem communicavi. Unde animum addiderunt, ut ea vobis deferrem. Itaque tanquam vestris utamini, ipse illud duntaxat in meum censum numerabo, si quod emolumentum inde consequemini. Valete.

Dabam Labaci VIII. Kalendas Aprilis, Anno Æræ Christianæ
M. DCC. LXXVIII.



DISSER-

DISSE

R T A T I O

DE POTESTATE ECCLESIASTICA

ET

C I V I L I .

C A P U T I .

DE POTESTATE ECCLESIAE.

§. I.

Ecclesia est Societas inæqualis.

Eccliam præ se ferre Societatem inæqualem, si inspicias, observabis. Comparent enim in ipsa Doctores & discipuli, greges & Pastores, Præpositi & subditi.

§. II.

Inæqualitas fundatur in Scripturis.

Ea inæqualitas est ex instituto Christi, qui *claves* dedit Ecclesiæ: “Et tibi dabo „*claves* &c.“ (a) ligandi item, solvendique potestatem, quibus symbolis usu Scripturarum significatur principatus, pastoratus, ministerium, docentium, & dissentientium inæqualitas, quam reliquit in Ecclesia.

(a) *Matth. XVI. 19.*

¶

* Claves dicunt allusionem ad voces: *aperire*,
claudere; & haec ad voces: *exire*, *intrare*, *edu-*
cere, *introducere*, a quibus non distant voces:
ligare, & *solvere*. Eundem igitur, vel vici-
num sensum haec voces habent in Scriptura.
Adhibentur vero ad significandam potestatem,
principatum, ministerium; sic simili locutione
Moyses significat suum principatum, dum a
Domino petit sibi Successorem designari: “Pro-
“ videat Dominus Deus Spiritum omnis carnis,
“ hominem, qui sit super multitudinem hanc:
“ & possit exire, & intrare ante eos, & educere
“ eos, & introducere: ne sit populus Domini
“ sicut oves absque Pastore.“ Num. XXVII.
16. 17. Simili locutione Isaias significat mini-
sterium Præpositi, & Thesaurarii Templi, dum
nunciat Sohnæ, illud transferendum in Eliacim
filium Sacerdotis Helciæ: “ Potestatem tuam,
“ ait, dabo in manu ejus: & aperiet. &
“ non erit, qui claudat: & claudet, & non
“ erit, qui aperiat.“ Cap. XXII. 21. 22.
Addo Num. XXVII. 21. Job. XII. 14. Apo-
cal. I. 18.

Christi principatum prophetavit Isaias IX.
6. 7. “Et factus est principatus super humerum
“ ejus: --- super solium David, & super re-
“ gnum ejus sedebit.“ Ipsum symbolica phra-
si enunciat Joannes Apoc. III. 7. „ Qui habet
“ clavem David: qui aperit, & nemo claudit:
“ claudit, & nemo aperit.“ Christus igitur
claves David, & principatum, quem ipse ges-
sit in terris, reliquit Ecclesiæ.



§. III.

Fulcitur Traditione.

Clavum sunt multi effectus; ast sepositis ceteris, eum qui est in judicii potestate, breviter vindicemus eo argumento, quo vulgo solent definiri lites, quando de jurisdictione controvertitur. Solet itaque ad facta constanza provocari, & ex actis & protocollis pro jure concludi. Jam a pace per Constantium M. data Ecclesiæ ad nostra usque tempora exercitium potestatis Ecclesiæ adeo manifesto exhibent Acta Conciliorum, ut illud Adversarii inficiari non audeant; sed alias quærant evasions, attribuendo illud Principum indulto, conniventiae, & Ecclesiasticorum usurpationi. Verum Ecclesiam exercuisse suam potestatem jure, & non injuria, vigore proprio, & non alieno Principum beneficio, intelligimus ex temporibus, quæ anteceesserunt Constantium Imp. Illorum temporum non extant quidem omnia monumenta; attamen extant nonnullorum Conciliorum vestigia. Concilia celebrarunt Apostoli. Eadem celebrarunt Apostolorum Successores, quos pro sua potestate egisse, svadet ipsorum pietas cum humilitate conjuncta, & illorum temporum difficultas.

* Seculo I. habemus Apostolorum Concilia Hierosolymitana Act. I. VI. & XV. Seculo II. in Controversia de Paschate celebrando habe-

mus plura Concilia, sigillatim Palæstinum circa annum 198. præsidentibus Theophilo Episc. Cæsareensi, & Narciso Episc. Hierosolymorum, Ephesinum ex Episcopis Asianis præsidente Polycrate, teste Eusebio lib. 5. *Hist. Eccl. cap. 22.* & 23. Seculo III. in causa lapsorum habemus Concilia, Romanum anno 253. sexaginta Episcoporum, totidemque Presbyterorum sub Cornelio Papa, & circa idem tempus Italicum aliud, teste eodem Ensebio lib. 6. *Hist. Eccl. cap. 25.* Item in causa rebaptizandorum ter habitum est Concilium Carthaginæ anno 256. a S. Cypriano, ut constat ex Epistolis ejusdem. Secundo interfuerunt Episcopi LXXI. Tertio interfuerunt Episcopi LXXXVII. Plura Concilia fuisse celebrata eo primo ævo, conjicimus ex disciplina illorum temporum, secundum quam remoto dominatu, & ex consilio consacerdotum Prælati regebant greges suos, ut observat Claudio Fleury *Disc. 11. §. 5. in Hist. Eccl.* immo inter effectus persecutionis Licinii Imperatoris numerat Ensebius *lib. 1. de vita Constantini cap. 51.* quod "Lege lata præceperit, ne Episcopi uspiam inter se de ulla re conferrent, neve ulli eorum in alterius Ecclesiam ventilare liceret, & Synodos ac Concilia de communib[us] negotiis habere." Denique si Conciliorum remedium non fuisset semper ordinarium in Ecclesia finendarum controversiarum, quo instinetu Constantinus M. sub initium suscepti christianismi sedatus Schismaticorum, & Hæreticorum tempestates adhibuisset Concilia, tanquam legitima remedia? Non nova igitur usurpatione, sed ex Christi institutione, & Apostolorum, virorumque Apostolicorum exemplis ad negotia Ecclesiæ tractanda convenerunt Patres a temporibus Constantini M. Exempla Apostolorum fu-

isse

isse secutos Patres Ephesinos, affirmat Cælestinus Epist. ad Synod. Ephes. relat. Act. II, apud Labbe tom. III. Concil pag. 614. Edit. Parisinae anni 1671. qua utar in decursu: “Sanctum
„ namque est, ait, pro debita sibi veneratione
„ Concilium, in quo utique nunc Apostolorum
„ frequentissimæ illius, quam legimus, Congre-
„ gationis aspicienda reverentia est., Exem-
„ plo Apostolorum, virorumque Apostolicorum,
se convenisse, profitentur Patres Concilii C.P.
II. dum ad legitimandum suum Conventum
affirmant Collat. VIII. “Sed & Sanctos Patres,
„ qui per tempora in Sanctis quatuor Conciliis
„ convenerunt, antiquis exemplis utentes,
„ communiter de exortis hæresibus & quæstio-
„ nibus disposuisse.”

§. IV.

Est igitur auctoritas in Ecclesia.

Consequitur ex dictis, esse auctoritatem in Ecclesia, quam minus provide fuisse ordinatam a Christo Sapientia æterna, absit ut dicamus, nam “nulos esse Magistratus, in-
„ quicquid (a) Chrysostomus, ubique malum est,
„ ac multarum causa calamitatum, & tumultu-
„ tus ac perturbationis principium. Ea por-
„ ro tanto in Ecclesia periculosior, quanto
„ Magistratus hujus conditio potior est, &
„ sublimior. Ut enim, si ex choro chori du-
„ ctorem sustuleris, neque concentum, ne-
„ que ordinem ille retinebit; & si ab exerci-
„ tu castrensi Imperatorem detrahas, non jam
„ decore, atque ordine acies instruetur; item

„ si a navī gubernatorem auferas, illam sub-
 „ merges. Ita si a grege pastorem sejungas,
 „ evertes, & perdes omnia. Malum igitur
 „ est carere Magistratu, & eversionis causam
 „ affert. “ Malum est, Ecclesiam carere au-
 ctořitate, & eversionis causam affert. Igitur
 non est passus Christus, auctoritate carere Ec-
 clesiam, quam voluit durare usque ad con-
 summationem seculi.

(a) *Homil. 34. in Epist. ad Hebr.*

§. V.

Quam Christus exercuit, fuit spiritualis.

Quam Christus exercuit in terris potesta-
 tem, ea fuit spiritualis : Dominus enim noster
 adeo potestatem terrenam non gessit, ut dum
 coram Pilato pro tribunali accusaretur in mul-
 tis, accusationem effectati terreni Imperii dun-
 taxat non toleraverit, & ad removendam a
 se omnem suspicionem fit protestatus (a) :
 „ Regnum meum non est de *hoc mundo*; “ &
 docuerit, se “ in hoc natum esse, & ad hoc
 „ venisse in mundum, ut testimonium perhi-
 „ beat veritati; “ Quod antea præstiterat
 doctrina, & exemplo viam salutis ostendens.
 Et quia “ bene terrena declinat, ut ait (b)
 „ Ambrosius, qui propter cælestia tantum de-
 „ scenderat, non dignatur Judex esse litium.
 „ & arbiter facultatum; “ unde interpellatus
 (c)


(c) respondet : “ O homo quis me constituit
,, Judicem aut divisorem super vos. ”

(a) *Joan. XVIII. 36. 37.* (b) *In loc. citand.*

(c) *Luc. XII. 14.*

* Claves Christi esse spirituales, intelligimus ex antiquis promissionibus; est enim Christus semen Abrahæ, *Galat. III. 14.* in quo erant benedicendæ universæ cognationes terræ, *Genes. XII. 4.* & in quo benedicuntur omnes, qui fidem Abrahæ imitantur, *Galat. III. 9.* & credunt in Christum. Credentes sunt filii Abrahæ, utique in spiritu, non in carne, constituuntque regnum, non terrenum, quod cum Republica Judæorum in filiis carnalibus Abrahæ finem accepit; sed spirituale & cœleste perpetuandum & æternum.

In eundem sensum conspirat Michæas apud *Matth. II. 2.* “ Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel; ” vel ut habet Michæas *V. 2.* “ Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel; ” Dominator videlicet, non in virga ferrea, coactione, & imperio; sed eminenti doctrina, ut colligimus ex verbo Hebraico apud Michæam לְשׁוֹן maschal, hoc est, dominatus, parabolice locutus fuit; est enim hebraicum מִשְׁלֵי misce, seu Latine Parabola, enigma, præexcellens, illustris, & quasi ceteris prædominans sententia; hinc vulgo Christus Magister vocabatur. Vel aliter Dominator, non virga Imperii, sed pedo benigni Pastoris, ut colligimus ex *LXX. Interpretibus.* qui Michææ locum reddiderunt per verbum ποιμανεῖ, pascet, Profecto & Christus de se ait: “ Ego sum Pastor bonus; ” *Joan. X. 11.* & Petrum vult Pastorem: “ Simon Joannis ---
,, Pascē



*„Pasc agnos meos, - - - Pasc oves meas, „
Joan. XXI. 16. 17.*

§. VI.

Non aliam reliquit Ecclesiæ.


Eandem commisit Ecclesiæ suæ. Etenim ascensurus ad Patrem ea potestate, quam ipse exercuit, munivit discipulos suos (a) “Si, cut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.” Tradendo ipsis *claves*, & ligandi, atque solvendi potestatem. Eandem declaravit esse, non potestatem urbis & orbis, non potestatem corporum, & corporalium; ejusmodi enim ipsum exercuisse, nullibi legimus in Scripturis; sed potestatem animarum: “Quorum, inquit, remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.” Pro amplissima potestate sibi data (b) in cœlo & in terra ipsos auctorizavit: “Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos - - - docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis;” sicque eis dedit potestatem, quæ consistit in doctrinæ, & mandatorum suorum prædicacione, baptisni, & aliorum donorum administratione.

(a) *Joan. XX. 21. 23.* (b) *Mattb. XXVIII. 18. 19.*

* Ita potestatem sibi datam intellexerunt Apostoli; ita eam intelligere ipsorum Successores, necesse est. Dicam cum Bernardo, lib. I. de Con-

Consider. ad Eugenium cap. 6. "Non monstrabunt
 puto, qui hoc dicerent, ubi aliquando quispiam Apostolorum judex federit hominum,
 aut divisor terminorum, aut distributor ter-
 rarum steterit. Stetisse denique lego Aposto-
 los judicandos, sedisse judicantes non lego.
 Erit illud, non fuit. Itane imminutor est
 dignitatis servus, si non vult esse major Do-
 mino suo? Aut Discipulus si non vult esse
 major eo, qui se misit? Aut filius si non
 transgreditur terminos, quos posuerunt pa-
 tres fui? Quis me constituit Judicem? ait illi
 Dominus, & Magister: & erit injuria servo,
 discipuloque, nisi judicet universos? - - -
 Ergo in criminibus, non in possessionibus
 potestas vestra: quoniam propter illa, & non
 propter has accepistis Claves Regni cælorum,
 prævaricatores utique exclusuri, non posse-
 sores. Redito sc̄epe in decursu ad hanc Ber-
 nardi Considerationem, quoties & asseverave-
 ro, quæ veneranda antiquitas obtinuit, & ne-
 gavero, quæ novitas addidit.

Erat Pontificiis non pridem plurimus dilata-
 ndæ potestatis appetitus. Refert, Guillelmus
 Barclajus lib. de Potestate Papæ ex relatione
 Jesuitarum sibi familiarium, Sixtum V. voluisse
 prohibere opera Bellarmini, quod Pontifici
 asseruerit potestatem solum indirectam in tem-
 poralia, Principum. Sed tandem coguntur co-
 hibere studia. Quod Sexto V. visum fuit pa-
 rum, id nimium agnatum est a Benedicto XIV.
 Certe Cardinalis Dominicus Passionei Reflexio-
 ne VII. ad eundem Benedictum in causa Beati-
 ficationis Venerabilis Bellarmini, nihil non
 moventibus Jesuitis, impedivit ipsius Beatifica-
 tionem eo motivo, ne Princes offendenter vi-
 dentes decerni honores Beatorum ei, qui suis
 Scriptis jura ipsorum lægit, ut refert Franciscus



**cus Grifelini Venetus nelle Memorie anedote
spettanti alla vita, e agli Studj del Frá Paolo
Sarpi annesse al tom. I. della Storia del Conci-
lio Trid.**

§. VII.

Est exercenda per doctrinæ sermonem.

Est itaque Ecclesiæ auctoritas exercen-
da modo congruo hominibus secundum ani-
mos, quorum intellectus exigit illuminari do-
ctrina, & instructione; voluntas vero non
movetur, nisi persvasilibus rationibus per
intellectum, inspirante Domino, quo aperia-
tur quod latebat, & swave fiat, quod non
delectabat; unde Apostolus (a) congruenter
monebat Timotheum: “ Prædica verbum,
„ insta opportune, importune: argue, obsecra,
„ increpa in omni patientia, & doctrina - -
„ vigila, in omnibus labora, opus fac Evan-
„ gelistæ, ministerium tuum imple;” quibus
verbis complectitur Apostolus integrum offi-
cium Pastoratus, ejusque moderamen, &
formam.

(a) 2. Tim. IV. 2. 5.

* Terminorum expressionem habes apud S. Isi-
dorum infra §. XLVIII. rem confer cum su-
pra §. V. & VI.

§. VIII.

Non per disciplinæ terrorem.

Non vero est exercenda per disciplinæ
terrorem. Nam terror coactionis, & vis con-
cutit

cutit corpora, & non animos, circa quos Ecclesiæ auctoritas versatur. Sed ab ipsis etiam animis voluit Christus (a) abesse rigorem: „ Reges gentium, inquiebat, dominantur „ eorum --- vos autem non sic. „ Quam Magistri sui sententiam intellexit Petrus (b), ideoque inculcat Ecclesiæ: „ Pascite, qui in „ vobis est gregem Dei, providentes non co- „ acte, sed spontaneæ secundum Deum. „ Prohibuit dominatum, & Imperium: „ Neque „ ut dominantes in Cleris, „ & jussit agi magisterio, tunc efficaci, quando adjungimus exempla, & quando ipsi exequimur, quæ exequenda aliis prædicamus: „ Sed forma facti gregis ex animo. „

(a) *Marc. X. 42.* (b) *Epist. I. cap. V. w. 2. 3.*

* Præclare scribit Bernardus lib. 2. de *Confid.* cap. 6. „ Nec enim tibi ille Petrus dare quod „ non habuit, potuit: quod habuit hoc dedit, „ sollicitudinem scilicet super Ecclesias, nun- „ quid Dominationem? Audi ipsum; Non do- „ minantes, ait, in Clero, sed forma facti „ gregis ex animo, & ne dictum sola humili- „ tate putes, non etiam veritate, vox Domi- „ ni est in Evangelio; Reges gentium domi- „ nantur eorum, vos autem non sic. Planum „ est, Apostolis interdicitur dominatus. Ergo „ tu, & tibi usurpare aude, aut dominans A- „ postolatum, aut Apostolicum dominatum. „ Plane ab alterutro prohiberis, aut si utrum- „ que similiter habere velis, perdes utrumque. „ Alioquin non te exceptum illorum numero „ putes, de quibus queritur Deus: *Ipsi regna-* „ *verunt, sed non ex me. Principes extite-* „ *runt,*

„ runt, & non cognovi eos. Iam si regnare
 „ sine Deo juvat, habes gloriam, sed non
 „ apud Deum. At si interdictum tenemus, au-
 „ diamus edictum: Qui major est vestrum, ait,
 „ fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut
 „ qui ministrat. Forma Apostolica hæc est.
 „ Interdicitur dominatio, indicatur ministratio,
 „ quæ commendatur ipsius exemplo legisla-
 „ toris, qui fecutus adjungit: Ego autem in
 „ medio vestrum, sicut qui ministrat. “ O præ-
 „ clara verba! eo magis ingenua, quod sint Pa-
 „ tris & Magistri ad discipulum, qui ex disci-
 „ plina egressus, quo sublimiorem concenderat
 „ locum, eo magis periculosem ad lapsum, a quo
 „ ipsum perseveratus scripsit Bernardus.

Redarguebat suo ævo nonnullos Gregorius
 M. lib. 2. Epist. Indict. 11. Epist. 52. ad Jo-
 annem Hierosolymit. “ Quid autem de Episco-
 „ pis, ajebat, qui verberibus timeri volunt,
 „ canones dicant, bene vestra Fraternitas no-
 „ vit; pastores enim facti sumus, non persecu-
 „ tores; & egregius Prædicator dicit: argue,
 „ obsecra, increpa cum omni patientia: nova
 „ vero, atque inaudita est ista prædicatio, quæ
 „ verberibus exigit fidem. “ Invertunt, & de-
 struunt systema Christi, qui vim & metum in-
 ducunt in Ecclesiam. Ecclesia enim est via
 ad coronam; Christus vero voluntati, non pas-
 sioni repromisit præmium, ut apte advertit
 Chrysostomus lib. 2. de Sacerd. “ Hic vero
 „ non vim afferre, sed svadere tantum oportet,
 „ atque hac ratione meliorem efficere, quem
 „ suscepferis. Neque enim nobis facultas no-
 „ stra a legibus data ad delinquentes coercen-
 „ dos, ac ne si dedissent quidem, haberemus
 „ ubi vim ejusmodi, potentiamque exercere
 „ possemus, cum Christus eos æterna corona
 „ donet, non qui coacti, sed certo animæ pro-
 „ posito


, posito a peccato abstinent., Arcus non nisi intendatur, resistit. Elaterium suum habent animi hominum, qui si intendantur, si quæ non probant, neque intelligunt, exequi cogantur, resistunt, non libenter exequuntur, & quamprimum cesseret vis, se pristinæ restituunt libertati; unde disciplina vi & metu extorta nec facilis est, nec diurna.

§. IX.

Non tamen caret sua vi coactiva.

Non tamen caret, sua vi coactiva; siquidem Christus *Clavem* reliquit Ecclesiæ. Iam vilescit omnis auctoritas, si non habeat & dona, quibus possit præmiare merita, & poenas, quibus puniat demerita. Quidni igitur Christus & donorum impertiendorum, & poenarum infligendarum auctoritatem in *Clavibus* reliquit Ecclesiæ?

* Quæres, quibus nominibus Claves Ecclesiæ denominentur? Respondeo, illas vocat *Potestatem* Apostolus 2. Cor. X. 8. "Si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra quam dedit nobis Dominus., Verum quia est potestas ministerii, & non imperii, ex suo instituto exercenda ita, ut exempla præeant doctrinæ; nam "cœpit Jesus facere, & doce-", re., Act. I. 1. potius illam voco auctoritatem, quod non dominatu, & imperio, sed exemplo primum, deinde doctrina ratio credendorum, & agendorum a Ministris in fideles transeat; unde sope occurrit illud discrimen, quod auctoritas Ecclesiæ, potestas Imperii nominetur. Vid. Isidorum infra §. XLVIII.



Aristoteles lib. 4. Polit. cap. 15. “*Magistratus illi, ait, nominandi sunt, quibus datum est deliberare de quibusdam, & decernere, & jubere, atque hoc præcipue. Nam jube re Magistratum magis proprium est.*” Igitur quum auctoritas Ecclesiæ sit ministerii, abhorreatque a dominatu, imperio, & iustitione, quæ magis propria sunt *Magistratus, seu Iurisdictionis, in sensu solum æquiore, & impropre Jurisdictionis dicitur.*

Porro quum *Dignitas, ut ait Liber. 2. ad Herennium, sit “alicujus honesta, & cultu, & honore, & verecundia digna auctoritas;” & Ecclesiæ auctoritas propter suum ministerium sit digna cultu, honore, & verecundia; recte Dignitas vocatur; attamen ita sustinenda, ut præ oculis habeatur Christi exemplum: “Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.” Luc. XXII. 27.*

§. X.

Cujus effectus sunt spirituales.


Profecto reliquit. Quoniam dedit Ecclesiæ potestatem *solvendi, remittendi peccata, baptizandi, ceteraque dona impertiendi.* Pro conditione donorum eadem non nisi meritis, hoc est, rite dispositis, humilibus, observantibus, obedientibus voluit concedi. Igitur Ecclesia, jure etiam *coacte*, hoc est, contra quam velint sibi denegari, denegat dona, quæ administrat, quoties congruam non affrant dispositionem, nec eam gerant voluntatem, quæ sit ex spiritu Ecclesiæ. Hinc Ecclesia

clesia habet potestatem *retinendi peccata*, & retinet, quoties negat remissionem. Habet potestatem *ligandi*, & ligat, quoties quemdam privat influxu bonorum spiritualium. Hanc potestatem exercet ad correctionem *ad tempus*, exemplo Apostoli (a), qui incestuosum Corinthium, peccatorem quidem, non tamen incorrigibilem, jussit excludi Ecclesia, & privari communione ad resipiscentiam ; vel *in perpetuum*, dum incorrigibilem præscindit a suo corpore, ipsumque inobedientem ex Christi (b) præscripto habet, *sicut Ethnicum, & Publicanum*. Unde perspicies vim Ecclesiasticæ auctoritatis causare proprios sibi, & spirituales effectus.

(a) *I. Cor. v. 2. 5.* (b) *Matth. XVIII. 17.*

* Est spiritualis potestas Ecclesiæ, si respiciamus subjectum, finem, media. Ipsi subjiciuntur animi, finis est vita æterna, media sunt illa, quæ hic beant animos, eosque deducunt ad finem. Ea potestas tam late patet, quam ampla est doctrina, dispensatio donorum, aliaque, quibus & hic spiritus aluutur, reguntur, & deducuntur ad finem. Quanto præstant spiritualia corporalibus, cœlestia terrenis, temporalibus æterna, tanto præstat Ecclesiæ auctoritas potestati Civili. Qui igitur sapiunt spiritum Ecclesiæ, non ambiunt temporalia, libenter carent cura terrenorum, quum vix sufficiente administrandis ex animo spiritualibus.





§. XI.

Punit summa moderatione.

Punit autem summa moderatione, quam discimus ex forma judicii præscripta a Christo apud *Math. XVIII.* Præscribit ibidem primum, coripi fratrem peccantem privatim, & cum minimo famæ dispendio: deinde si non audierit, adhiberi unum, vel duos, ut quod non est operata privata correctio, obtineat pudor ex testium conspectu: tertio si non audierit, denunciari Ecclesiæ, quæ reprehendat ipsum ad resipiscentiam: demum si Ecclesiæ non audierit, esse ad extrema veniendum, & habendum, sicut ethnicum, & publicanum. Hæc forma regulat, non solum fraternalm privatorum correctionem; sed etiam disciplinam Ministrorum Ecclesiæ, ut Paulus practice interpretatur, dum provocans ad formam Evangelicam ita scribebat ad Corinthios (a): “Ecce *tertio* hoc venio ad vos: „In ore duorum, vel trium testium stabit „omne verbum. *Prædixi*, & *prædico*, ut præ- „sens, & nunc absens, iis qui ante pecca- „verunt, & ceteris omnibus, quoniam *si ve-* „*nero iterum*, *non parcam*, “ tandem post tertiam illam monitionem, nisi resipuerint, minatur animadversionem.

(a) 2. Cor. XIII. 1. 2.

* Apostolus laud. Epist. 2. cap. x. v. 8. affir-
mat, Dominum dedisse potestatem Ecclesiæ in
ædificationem, & non in destructionem, ho-
ma

magis, præcipue, absolute in ædificationem,
 & secundario, ac hypothetice ad destructionem,
 ut interpretatur Chrysostomus Homil. 22. in
 cit. Epist. 2. "Et ad hoc quidem potestatem
 , accepimus, ut ædificemus. Sin autem relu-
 , cetur aliquis, & pugnet, & insanabilis sit;
 , etiam actione uteatur altera, ut eum destrua-
 , mus, ac dejiciamus." Item Theophyla-
 ctus: "Præcipue quidem ad ædificationem ac-
 , cepi. Quod si quispiam incurabilis fuerit,
 , demolitione uteatur --- adeo ut potestatem
 , habeam & benefaciendi primario, & punien-
 , di cum ad id cogar." Similia habent Oecu-
 menius, Gennadius. Ecclesia itaque non nisi
 cum ad id cogitur, punit, & dum punit me-
 dicinaliter, non alias præscribit poenas, quam
 quas exigit infirmitas peccatoris. Agit uti &
 Medicus, qui non præscribit amaras medicinas,
 ut ægroti palatum affligat; sed ut sanet, ad-
 hibetque, dulciora remedia, quando æque con-
 ducent ad sanitatem. Ad anathemata non ve-
 nie, nisi post adhibitum omne probabile reme-
 dium. Agit iterum, uti ipsi solemus adhibere
 vulneri omne probabile cauterium, antequam
 pedem, manum, digitum præscindamus; immo
 non solum applicamus cauteria parti lœfæ; sed
 abstinemus a cibo, a potu: affligimus palatum,
 & stomachum: tollimus id omne, quod vere-
 mur, ne influat in vulneris acerbitate, tunc
 tandem ut corpus salvemus, membrum præ-
 scindimus, nec antea necessitas est; & tunc
 solum immediate ad extrema, ad membra præ-
 scissionem venimus, quando evidenter intelli-
 gimus, toti certam imminere perniciem, nisi
 illud fecemus.

§. XII.

Auctoritas data fuit omnibus Apostolis.

Christus *Claves* promisit Petro quidem
 (a); sed “quod Petro dicitur, ceteris Apo-
 ” stolis dicitur,“ inquit (b) Ambrosius. Et
 omnino discessurus ad Patrem, non soli Pe-
 tro, sed omnibus (c) dixit: “Et ego mitto
 „ vos - - - quorum *remiseritis* peccata &c. “
 omnibus (d) mandavit: “Euntes ergo doce-
 ” te &c. “ omnibus (e) promisit suam assisten-
 tiam: “Et ecce ego vobiscum sum. &c. “

(a) *Math. XVI. 18. 19.* (b) *In psal. 38.* (c)
Joan. XX. 21. 22. 23. (d) *Matth. XX-*
VIII. 19. (e) *Ibid. v. 20.*

* Ambrosio consentit Augustinus sc̄epe alibi
 & *Tract. 5. in Joan.* “Petrus quando claves
 „ accepit, Ecclesiam sanctam significavit. “
 Leo Papa *Serm. 3. in Anniver. sue Assump.*
cap. 3. “Propterea quod dicitur Beatisimo Pe-
 ” tro: *Tibi dabo Claves &c. - - - Transivit*
 „ quidem etiam in alios Apostolos vis potesta-
 ” tis istius &c. “ & alii *Vid. infra §. XIV. XX-*
 Unde longe aberrant Cardinales Joannes de
 Turrecremata *lib. 2. de Ecclesia cap. 54.* & Ja-
 cobatius *lib. 10. de Conciliis art. 7.* & post illos
 Prosper Fagnanus *in cap. 1. de Offic. Judic.*
Ordin. num. 47. dum affirmant, Apostolos,
 non a Christo immediate, sed a Petro juris-
 dictionem accepisse, quibus oppono etiam S.
Lucam VI. 13. ita de immediata vocatione, &
 missione Apostolorum loquentem. “Et cūm
 „ dies factus esset, vocavit discipulos suos: &
 „ elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos

„ no-

„ nominavit. “ Eosdem refellit Card. Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 23.

Item contra Ludovicum Ellies Dupin de Antiq. Eccl. Discipl. Diff. VI. §. 1. Edmundum Richerium lib. de Eccl. & Polit. Potest. dico, Claves primario, proprie, & immediate fuisse datas, non Ecclesiæ, sed Petro, & Apostolis; id inteligo 1. eodem argumento: 2. Quod Sacerdotes nullibi legantur Ministri Ecclesiæ, quasi ejus nomine & jure ministeria exercent; sed bene dicantur Ministri Christi, cujus vices agunt, & cujus jure præminent in Ecclesia; sic Paulus vocat se Ministrum Christi, Rom. XV. 16. “ Ut sim Minister Christi „ Jesu in Gentibus. “ Item se & Apollo 1. Cor. III. §. 10. “ Ministri ejus, cui credidisti. “ Item se & alios 1. Cor. VI. 4. “ Exhibeamus „ nosmetipso sicut Dei Ministros. “

Adverte, Apostolorum nomen non fuisse peregrinum Judæis, apud quos Apostoli vocabantur. qui cum mandatis mittebantur ad curationem aliquam, & functionem obeundam. Post excidium Hierosolymæ Judæi per orbem dispersi suos habebant Patriarchas, quorum Assessores, Apostoli vocabantur, uti colligimus ex Epiphanio hæref. 30. num. 4. ubi de Josepho Comite scribit: “ Hie Josephus ex illorum „ erat ordine, qui apud Judæos principem lo „ cum dignitatis obtinent. Qui secundi sunt a „ Patriarcha, & Apostoli nominantur. “ quod scilicet mitterentur idendidem ad ordinandas Synagogas, & ad decimas, & primitias a provincialibus Judæis exigendas.



§. XIII.

Propagata est ad Episcopos.

Apostoli, non ex singulari Apostolatus prærogativa *Claves* receperunt; sed ut illas transmitterent ad suos Successores. Etenim ipsis promisit (a) Christus: “Et ecce ego vobis cum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Illi vero non erant victuri usque ad consummationem seculi, quum ex Christi prædictione essent sanguinem effusuri in fidei testimonium. Igitur erant perseveraturi, & perseverant hactenus in suis Successoribus, quos licet sacra ordinatio per ministerium Apostolicum elevaverit ad pastorum, Apostolus tamen Paulus (b) pronunciat a Deo constitutos Pastores: “Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.”

(a) *Matth. XXVIII. 20.* (b) *Act. XX. 28.*

* Adde: SS. Paulus & Barnabas jussu Sancti Spiritus ordinationem acceperunt ab Apostolis, *Act. XIII. 2. 3.* & tamen Paulus ait, se esse Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum. *“ Galat. I. 1.*

Episcopi nomen non erat ignotum Gentilibus. Hesychio ἐπίσκοπος est βασιλεὺς, & φύλαξ, Rex, & Custos. Aristophanes in *Avibus* accipit *Episcopum* pro Magistratu quodam, qui cum potestate mittebatur in provincias ad rerum statum inspiciendum & ordinandum. *Epi-*

, Epi-

„ Episcopus ego huc venio, sortitu fabæ
„ Ad Nephelococcygias.“


Ad quem locum observat Scholiares, “ Eos,
„ qui ab Atheniensibus ad Civitates mitteban-
„ tur imperio suo subiectas, ut rerum ibi sta-
„ tum inspicerent, Episcopos, & Custodes esse
„ dictos; quos Lacedæmonii Harmostas voca-
„ bant. ”

§. XIV.

Idem profitentur Patres.

Apostolorum auctoritatem transivisse in ipsorum Successores Episcopos, confitentur Patres, ex quibus audi Cælestinum, qui in laud. Epist. ad Patres Ephesinos ita scribit:

„ Hæc ad omnes in commune domini Sacerdo-
„ tes mandatæ prædicationis cura pervenit;
„ hæreditario in hanc sollicitudinem jure con-
„ stringimur, quicumque per diversa terra-
„ rum, eorum vice nomen Domini prædica-
„ mus, dum illis dicitur: *Ite, docete omnes*
„ *gentes.* Advertere debet vestra Fraterni-
„ tas, quia accepimus generale mandatum:
„ *omnes etiam nos id agere voluit*, qui illis
„ sic omnibus in commune mandavit officium.
„ Necesse est, ut competenter *nostros* sequa-
„ mur *auctiores*. Subeamus omnes eorum la-
„ bores, *quibus omnes successimus* in honore.“
Non sibi totam auctoritatem arrogat S. Ponti-
fex; sed eam jure hæreditario affirmat com-
munem sibi esse cum ceteris Episcopis, ac in-
de eos excitat ad curam communem.



* Consentient alii Pontifices ; Leo laud. Serm.
 3. in Anniv. sue Assump. cap. 3. "Quod dici-
 tur Beatissimo Petro : Tibi dabo claves &c. --
 ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus
 constitutio commeavit. " Nicolaus I. Epist.
 47. " Subiturus tamen ad cœlos hanc Apo-
 stolis commendavit, ac per eos tanquam hæ-
 reditario jure, Successoribus eoram, nobis
 scilicet, quos Pastores, & Episcopos, &
 Pontifices, super ipsam constituit, " Eccle-
 siam scilicet. Eugenius IV. in Decreto ad Ar-
 menos : " De solis Apostolis legitur, quorum
 viam tenent Episcopi. "

§. XV.

Petrus fuit Primas Apostolorum.

Apostolis ceteris fuit Prælatus Petrus, ipsorumque *Primas* constitutus. Missis reliquis Scripturis, id colligo breviter ex *Matth. XVI.* ubi duo prælationis Petri argumenta observo ; primum ex novi nominis impositione: alterum ex allocutione Petri.

§. XVI.

Id colligo Imo ex novi nominis impositione.

Evidem sunt ceteri Apostoli fundamen-
 ta Ecclesiæ, sicuti & Petrus; verumtamen a
 petra fundamentorum solus Petrus nomen for-
 titur, ut nomine præferret Primatus præro-
 gativam, non insolito Scripturarum more; sic
 appellatus fuit (a) *Abraham*, quod fuisset

con-

constitutus pater multarum gentium: sic vocatum est (b) nomen Verbi incarnati **JESUS**, quod salvum faceret populum suum a peccatis eorum; unde concludo Leonis Papæ (c) verbis: “Sic enim præ ceteris est ordinatus, „ ut dum *petra* dicitur, dum fundamentum „ pronunciatur --- qualis ipsi cum Christo es- „ set societas, per ipsa *appellationum* ejus my- „ steria nosceremus.”

(a) *Genes. XVII. 5.* (b) *Matth. I. 21.* (c)

Serm. I. in Anniver. sive Assump.

* Id mysterii in Petri, nomine recognoscunt alii Patres, *Cyrillus Alex. lib. 2. in Joann. cap. 12.* “Nec Simon fore jam nomen sibi, „ sed Petrus prædicit; vocabulo ipso commode „ significans, quod in eo tanquam in petra la- „ pideque firmissimo, suam esset ædificaturus „ Ecclesiam.” *Gregorius Nazian. Orat. 26.* „ Vides quemadmodum ex Christi discipulis - - „ hic *petra* vocetur, atque Ecclesiæ fundamen- „ ta in fidem suam accipiat.” *Hilarius canon. 26. in Matth.* “O in nuncupatione novi nomi- „ mis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque „ ædificatione illius *petra* &c.” *Prosper, vel quisquis Auctor lib. de vocatione Gent. lib. 2. cap. 28.* “Quis ignoret banc fortissimam pe- „ tra, quæ ab illa principali *petra* commu- „ nionem & virtutis sumpfit & nominis.” *Per-* „ *tinent hæ laudes nominis ad mysterium, &* prærogativam Primatus.

Porro vero similius est, *Matth. XVI. con-* firmatum fuisse nomen Petri; nam impositum est, dum eligeret duodecim Apostolos, ut refert *Marcus III. 16.* “Et imposuit Simoni no- „ men Petrus, “ & censent Euthymius in cap.

3. Marci, & Cajetanus in cap. I. Joann. promissum vero fuit, dum Andreas illum adduxisset ad Christum, uti legimus Joan. 1. 42. "Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit; Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas: quod interpretatur Petrus."

§. XVII.

2do Ex allocutione.

Primum Petri colligimus ex ipsius allocutione; nam habent non solum singuli verborum apices; sed figuræ singulæ, & gestus scripturarum suos sensus insignes. Igitur nec caret mysterio, quod Christus singulariter ad Petrum dirigat, quod toti promittit Ecclesiæ; sed Petri significat characterem; ut docet Leo (a) verbis: "Et ego, inquit, dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita ego notam tibi facio excellentiam tuam: Quia tu es Petrus &c." notam facio scilicet, tibi loquendo, tibique nomen imponendo, quo præ terres, quod re gereres in Ecclesia.

(a) Serm. in Nativ. SS. Apostl. Petri & Pauli.

* Idem apte congruit cum dicendis infra §. XIX. & XX.

§. XVIII.

Transit ad Successores.

Christus fundavit Ecclesiam duraturam usque ad consummationem seculi. Igitur voluit

luit quoque durare formam ipsius; proinde sicut jura Apostolorum transeunt in ipsorum Successores; sic Petri Primatus perleverat in iis Successoribus, qui hactenus sunt Romani Pontifices, quod ab aliis est demonstratum.

* Vid. Natal. Alex. Diff. IV. s. 2. in Hist. Eccl. Seculi I. & passim alios.

§. XIX.

Spectat ad modum exercendæ auctoritatis.

Christus omnibus Apostolis, ipsorumque Successoribus dedit Claves Ecclesiæ; eis vero prætulit Petrum, ipsiusque Successores. Hæc hactenus deduximus. Sed quæres, quæ summa sint illa jura Primatus? & quæ Episcopatus? quæ alterius ad alterum sit relatio? Distingue post Card. Perronium (a) auctoritatis Ecclesiasticæ jura *intrinsecæ*, & *essentialia* a juribus *extrinsecis*, & *accidentalibus*. Jura intrinseca pertinent ad *substantiam* auctoritatis, continent *perfectum Sacerdotium*. ea communia sunt Episcopis cum Primate, nec quo ad illa habet amplius aliquid Primas præ Episcopis. Universi possident ea jura, non inertia; sed actuosa, consequenter ea recte exerunt, iis recte agunt, recte aggrediuntur, quæ sunt ad ædificationem Ecclesiæ. Ast Ecclesia una est, unique est promissus Spiritus, qui docet, & suggerit omnem veritatem; & tunc solum confidunt Episcopi, sibi adesse Spiritum

veri-

veritatis, quando consentiunt, & adhaerent unitati, quam ille animat Spiritus. Consequitur igitur, ut Episcopi ita agant, ne agendo discedant ab unitate Ecclesiæ. Est vero Ecclesia Catholica, & per orbem diffusa. Quatenus igitur Catholica est, fugit *Universa singulorum conspectum*, & *judicium*; unde *notam* quamdam instituere oportuit, qua illa unitas Catholica Ecclesiæ appareret. Christus itaque providus Institutator Ecclesiæ constituit Petrum Primate, voluitque, ut esset cum suis legitimis successoribus *Centrum Unitatis*, seu confisterent in Unitate Ecclesiæ, qui doctrina fidei, & morum consentirent Primi. Est igitur officium Episcoporum, ut in exercitio auctoritatis suæ ad metam unitatis attendant, consentiantque fidei, & morum doctrina Primi, sive iis, qui cum eo colunt communionem; officium vero Primatis, ut conservet communionem cum quibusvis, qui tenent doctrinam fidei, & morum Universæ Ecclesiæ; neget vero iis, qui secus sentiunt. Hic honor, hæc summa est Jurisdictionis Primatus. Hæc officia, tam activa, quam passiva, seu jura sunt extrinseca, quia exercitii, & usus auctoritatis modum, & ordinem respi ciunt. Quamobrem continet jura Primatus extrinseca, & spectat ad modum exercendæ auctoritatis Ecclesiæ.

(a) Cap. 55. Resp. ad Regem Angliæ.

* Unde


* Unde jura activa Primatis reducuntur ad hæc duo summa officia: Primum Primatis est agere, quæ ad conservandum Capitis & Membrorum commercium, armoniam, & unitatem necessaria sunt; alterum Primatis est tollere, quæ omnino illud commercium, armoniam, & unitatem impediunt. Sume in rigore terminos: *necessaria*, *omnino*, & Primatis officia, & felicitudinem suis finibus limitabis. Vid. *infra* §. XXIX. LVI. XCVIII.

§. XX.

Consonat doctrina Patrum.

Hanc Primatus naturam colligo ex Patribus, qui uno ore tradunt, claves fuisse communes omnibus Apostolis. Quod vero *uni* Petro fuerint datæ, illas afferunt rationes; Cyprianus (a), ut *unitatem* doceret, & ejus unitatis *originem*, seu *centrum* esse Petrum: Hieronymus (b), ut *capite* constituto schismatis tolleretur occasio: Augustinus (c), ut *unitas Ecclesiæ* commendaretur: Optatus Milevitanus (d), ut in Petro *unitas* ab omnibus servaretur, & schismaticus haberetur, qui centro unitatis se opponeret, nec reciprocum cum ipso commercium coleret: Leo (e), ut cunctis Ecclesiæ Rectoribus esset signum, & *forma*, ad quam respicientes in exercitio suæ auctoritatis non abirent ab unitate; quæ rite consonant cum dictis

(a) *Lib. de Unit. Eccl.* “Loquitur Dominus „ ad Petrum --- Tu es Petrus --- & tibi dabo clau-



„ claves . . . Et quamvis Apostolis omnibus
 „ post resurrectionem suam parem potestatem
 „ tribuat . . . tamen ut unitatem manifestaret,
 „ unam Cathedram instituit, & unitatis ejus-
 „ dem originem ab uno incipientem sua auctori-
 „ tate disposuit. “

(b) Lib. I. advers. Jovinian. cap. 14. “ At
 „ dicis , super Petrum fundatur Ecclesia ; li-
 „ cet idipsum alio in loco super omnes Aposto-
 „ los fiat , & cuncti claves Regni cœlorum ac-
 „ cipient , & ex æquo super eos Ecclesiæ forti-
 „ tudo solidetur ; tamen propterea inter duode-
 „ cim unus elitur , ut capite constituto , schis-
 „ matis tollatur occasio. “

(c) Serm. 108. de diversis : “ Has enim cla-
 „ ves , non homo unus , sed unitas accepit Ec-
 „ clesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædi-
 „ catur , quia ipsius univeritatis , & unitatis
 „ Ecclesiæ figuram gessit , quando ei dictum
 „ est : Tibi trado , quod omnibus traditum est.
 „ Nam ut noveritis , Ecclesiam accepisse cla-
 „ ves Regni Cœlorum , audite in alio loco ,
 „ quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis ,
 „ si cui dimiseritis peccata &c. Hoc ad claves
 „ pertinet , de quibus dictum est : Quæ solve-
 „ ritis in terra &c. Columba ligat , columba
 „ solvit ; ædificium supra petram ligat & sol-
 „ vit. . . Merito etiam post resurrectionem
 „ Dominus ipsi Petro oves suas commendavit
 „ pascendas. Non enim inter discipulos solus
 „ meruit pascere dominicas oves : sed quando
 „ Christus ad unum loquitur , unitas commen-
 „ datur , & Petro primitus , quia in Apostolis
 „ Petrus est Primus. “ Intellige Ecclesiam do-
 „ centem , uti satis innuit Augustinus , dum mis-
 „ cet voces : Ecclesiam , omnes Apostolos.

(d)


(d) Lib. 2. contra Parmenian. "Igitur ne-
 „ gare non potes, scire te, in urbe Roma Pe-
 „ tro primo Episcopalem Cathedram esse colla-
 „ tam, in qua federit omnium Apostolorum
 „ Caput Petrus, unde & Cephas appellatus est,
 „ in qua una Cathedra unitas ab omnibus ser-
 „ varetur, ut jam schismaticus, & peccator
 „ esset, qui contra singularem Cathedram alte-
 „ ram collocaret."

(e) Serm. 3. in Anniv. sue Assump. cap. 3.
 „ Sed non frustra uni commendatur, quod om-
 „ nibus intimatur. Petro enim hoc singulari-
 „ ter dicitur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus
 „ Petri forma præponitur."

S. XXI.

Oppositio Fagnani.

Contra sic argumentatur (a) Fagnanus:
 „ Quod legitur Act. XX. *Attendite vobis, &*
 „ *univerjo gregi, in quo Spiritus Sanctus vos*
 „ *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* debere
 „ intelligi mediante jurisdictione illis tribuen-
 „ da, & determinanda a Romano Pontifice
 „ --- nam aut verbum illud: *Ecclesiam, vo-*
 „ *lumus intelligere de Ecclesia universalis respe-*
 „ *ctu singulorum Episcoporum, ita ut quilibet*
 „ *Episcopus sit positus a Spiritu S. ad re-*
 „ *gendam Ecclesiam universalem.* *Et hoc est*
 „ *erroneum, quia hæc potestas data est soli*
 „ *Petro Apostolorum Principi, & Romanis*
 „ *Pontificibus illius Successoribus --- alio-*
 „ *quin tot essent Papæ, quot Episcopi con-*



„ tra unitatem Ecclesiæ, & Catholicam veri-
 „ tatem. --- Aut volumus intelligere prædi-
 „ ctam auctoritatem de singularibus Ecclesiis,
 „ ita ut quilibet Episcopus positus sit a Spi-
 „ tu S. ad regendam suam Ecclesiam particu-
 „ larem; & ita concurrent omnes collective
 „ ad regimen Universalis Ecclesiæ: & hoc si-
 „ militer est falsum, quia Christus populos A-
 „ postolis non divisit, multo minus Episcopis
 „ illorum Successoribus, sed dixit omnibus
 „ & singulis: *Docete omnes gentes*, Matth.
 „ ult. & *prædicate Evangelium omni creature*,
 „ Marc. ult. *Quæcumque ligaveritis super ter-*
 „ *ram, erunt ligata & in cælo*, Matth. XVIII.
 „ & *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*,
 „ Joann. XX. Ergo non est nostrum fingere
 „ hanc limitationem, & divisionem jurisdictionis
 „ fuisse factam immediate a Christo, cum ex Evangelio haberi non possit: nulla
 „ enim limitatio, aut quoad subditos, aut
 „ quoad causas ibi legitur --- Supereft ergo,
 „ ut Apostolis, & aliis Episcopis Ecclesiæ,
 „ & subditi, & consequenter jurisdictione præ-
 „ finita fuerit immediate primum a Petro, &
 „ deinde a Summis Pontificibus ejus Succe-
 „ soribus. Atque ita Episcopi constituti sunt
 „ a Spiritu S. ad regimen Ecclesiæ mediante
 „ jurisdictione, quæ singulis tribuitur, &
 „ præfinitur ab Ecclesia Romana. “ Sed a
 „ gravi Jurisconsulto nihil levius dici potuit,
 „ quod videamus.

(a) In cap. 1. de Offic. Jūdic. Ord. num.

59.

§. XXII.

*Apostolus loquitur de Ecclesiis particula-
ribus.*

Apostolus loc. laud. loquitur de Ecclesiis particularibus; erant enim Epheso ex Asia vocati Presbyteri, ad quos loquebatur, & particulares erant Ecclesiæ, Miletana in Numidia, & Ephesina, quas descendens Hierosolymam relinquebat, & quibus post discessiōnem suam timebat a lupis, unde illarum curam commendabat Presbyteris ipsarum.

§. XXIII.

Christus non divisit Ecclesiæ.

Affentior Fagnano, quod Christus non diviserit Apostolis, minus ipsorum Successoribus Ecclesiæ, aut populos; misit enim indefinite, ut bene advertit, Apostolos *ad omnes gentes*, *ad omnem creaturam*, dedit omnibus potestatem *super terram*, potestatem solvendi, & ligandi indeterminate quoscumque.

§. XXIV.

Ast voluit eas dividi.

Ast vel eo ipso voluit dividi Apostolos, constitui particulares Ecclesiæ, ipsisque præponi Pastores. Nam dum mittebat Aposto-



los in universum mundum, voluit illos dividere, & dispergi, & transfire de loco ad locum prædicando Evangelium. Similiter migrare greges Fidelium voluisse, nemo dixerit. Sed nec greges consistentes voluit carere suis Pastoribus. Igitur voluit fixis & consistentibus gregibus fixos, & consistentes præfigi Pastores, proinde voluit figi, determinari, dividi Ecclesias.

§. XXV.

Divisæ sunt factio humana.

Mentem Christi Institutoris intellexerunt Apostoli, qui accepto Mandato, “ profecti prædicaverunt ubique,” teste (a) Marco. Greges, quos sua prædicatione aggregabant, non deserebant absque Pastoribus. Suos Pastores habebant Christiani dispersi per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam, quibus scripsit Petrus, & ipsorum Pastores admonuit (b): “ *Pascite* qui in vobis est gregem Dei.” Suos Pastores habebat Ecclesia Ephesina, & Miletana, quibus ipsarum curam commendabat Paulus *loc. laud.* Paulus (c) rogavit Timotheum, “ ut remuneret Ephefi.” Eundem (d) hortatus est, ut “ quæ audivit a se, hæc commendaret fidelibus hominibus, qui idonei essent & alios docere.” Titum quoque (e) reliquit Crete, ut ea quæ deerant, corrigeret, & constitui-

stitueret per Civitates Presbyteros, seu Episcopos, sicut & ipse disposuerat ei.

(a) XVI. 20. (b) Epist. I. cap. 1. v. 1. & cap. 5. v. 2. (c) I. Tim. 1. 3. (d) 2. Tim. 11. 2. (e) Tit. 1. 5.

§. XXVI.

Primum non per Petrum solum.

Primam Apostolorum divisionem ad gentes sic exhibent *Acta Apost.* Primitias Gentilium Cornelium Centurionem ad baptismum admisit Petrus superna visione illustratus (a). Eousque Apostoli intra Judæam constiterunt. Nonnulli (b), “qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque ad Phœnicen, & Cyprium, Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis *Judeis*.“ Post visionem Petri, & baptismum Cornelii quidam ex illis transfugis propter metum persecutionis (c), viri Cyprii, & Cyrenæi, cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad *Græcos*, annunciantes Dominum Jesum. Et erat manus Domini cum eis: multusque numerus credentium conversus est ad Dominum.“ Porro hoc loco *Græci* contraponuntur *Judeis*, suntque Gentiles, quos etiam Paulus *Epist. ad Rom.* sope vocat *Græcos*. Perveniente læta fama illius conversionis ad Ecclesiam tune Matricem, quæ erat *Jerusalemis*, Hierosolymitani



tani “ miserunt Barnabam usque ad Antiochiam ,“ qui sibi adjunxit Paulum , quibus prædicantibus nova , multaque augmenta accepit Ecclesia , dictique sunt primum ipsorum discipuli Antiocheni *Christiani* (d). Eliciat Fagnanus , ut fidenter asserit , ex hac prima dispersione Nunciorum Evangelicorum ad Gentes missionem factam per Petrum.

(a) Act. X. (b) XI. 19. (c) XI. 20. 21.

(d) XI. 22, & seq.

* Annus mortis S. Stephani Baronio est annus Christi 35 per diem unum inchoatus , Petavio , Ussorio , Tillemontio annus idem , quo Christus passus est , aliis omnino incertus.

Porro S. Leo Serm. 8. in Natali Apost. Petri & Pauli cap. 3. dicit , Apostolos suscepisse accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum , imbuendum Evangelio mundum distributis sibi terrarum partibus , distributis scilicet vel ex consensu communis , vel sortito , ut Socrati lib. I. Hist. Eccl. cap. 19. aliquisque placuit , vel signo voluntatem Spiritus Sancti indicante ; Spiritus Sanctus , ait Hieronymus in cap. 34. Isaiae , “ congregavit eos , dedit eis sortes , atque divisit .”

§. XXVII.

Ecclesiæ itaque definiuntur jure humano.

Ex dictis itaque colligimus , Christum commisisse toti corpori Prælatorum totam Ecclesiam , & voluisse , singulos gerere curam

Uni-

Universæ Ecclesiæ secundum aliquam portionem, quas tamen ipse non determinavit, ut pote quum nondum extaret Ecclesia, quam divideret. Ne igitur indeterminatum esset, vagumque exercitium potestatis cum periculo detrimenti, & perturbationis Ecclesiæ, eidem reliquit eam auctoritatem determinandi singulas portiones, & Ecclesia pro jure suo singulis singulos aliquos greges Dominicos assignat, quorum singularem gerent curam, nec extra ipsos sua auctoritate excurrerent cum periculo negligendi propria, & aliena turbandi. Assignat majores vel minores singulis greges, prout in Domino consultum judicat, vel prout servire temporibus cogit necessitas. Privat quoque sua portione, alios ad tempus per suspensionem, donec correcti ad officium redeant, alios in perpetuum, per depositionem, & degradationem, qui vel inepti inveniuntur ad munus obeundum, vel utiliter non obeunt ob scandalum vitæ.

* Adde infra §. XXXII.

§. XXVIII.

Inde divisio potestatis Ordinis, & Jurisdictionis.

Inde originem suam dicit divisio illa potestatis in potestatem *Ordinis*, & potestatem *Jurisdictionis*, qua abusi Vindices Pontificii in-

C 4 cre-



crementi tandem ut locum darent testimoniis, quibus Episcopalis auctoritas fulcitur, & Episcopos deprimerent, medium viam ineunt, & affirmant potestatem *Ordinis* Episcopalis esse a Deo, *jurisdictionis* vero a Summo Pontifice. Fundant se in eo, quod si æque potestas jurisdictionis esset a Deo, non posset diminui, augeri, mutari, tolli plane Episcopis; sicut non variatur, aut tollitur potestas ordinis per quamcunque depositionem, aut degradationem.

* Jurisdictionem Episcoporum immediate esse a Papa, docet Card. Joannes de Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 54. Card. Dominicus Jacobatius lib. 10. de Conciliis art. 7. Card. Robertus Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 23. docet, Apostolos a Christo immediate accipisse jurisdictionem; cap. 24. affirmat, Episcopos immediate accipere a Papa, urget arg. 5. „ Si haberent Episcopi a Deo suam jurisdictionem, non posset Pontifex illam auferre, aut mutare. Non enim potest Pontifex aliquid agere contra Dei ordinationem. “ Prosper Fagnanus in laud. cap. 1. de Offic. Judic. Ordin. affert argumenta num. 42. quod ad Pontificem pertineat singulis Episcopis Diœceses assignare, Ecclesiæ & subditos præfinire. Num. 44. quod si potestas jurisdictionalis Episcoporum esset immediate a Christo, non posset auferri ab Ecclesia, ut patet in potestate Sacramentali, seu ordinis, quæ cum conferatur per consecrationem, est immobilis, & ideo manet in Episcopo, quandiu vivit, sive in Schisma, sive in hæresim labatur; item in Episcopo etiam deposito, & degradato. Num. 45. quod si potestas jurisdictionis necessario esset conjuncta cum

ib cum potestate ordinis, sequeretur, nullum Episcopum creari, aut reperiri posse sine potestate jurisdictionis; quod est falsum, quum sint absque jurisdictione Episcopi Titulares in partibus Infidelium, utpote Clero, & populo carentes, Episcopi quicumque ante expeditas literas Apostolicas suae promotionis, consecrationis, vel confirmationis: Episcopi, qui renunciarunt Episcopatum. Eodem argumento canit triumphos Constantinus Roncaglia in suis Animadversionibus §. 3. ad castigationem scilicet Diss. IV. in Hist. Eccl. Seculi I. Natalis Alex. Edit. Venetæ 1771. Argumentum ex sequelis vulneratae disciplinæ Ecclesiastice potissimum, quæ si sanetur, eodem momento in fumum abit.

§. XXIX.

Occasio novi præjudicii.

In definiendis Ecclesiis respiciendum est ad normam unitatis Ecclesiæ, cuius centrum hactenus est Romanus Pontifex; unde & in erigendis novis Ecclesiis, & in præficiendis Pastoribus ea cura semper habita est, ut seu immediatum, seu mediatum probaretur testimonium communionis cum Romano Pontifice; & merito quidem. Sed eo juris colore, sublata antiqua disciplina, & sublatis juribus Metropoliticis, Romana Curia sensim ad se attraxit omnes Prælaturas Occidentis, juraque ipsarum, ita ut hodie distribuat, prout sibi magis expedit, nisi impediatur; unde ante-

quam concludas, Romanos id agere jure di-
vino; interroga Patres tuos, & dicent tibi,
ita ipsos semper non egisse.

* Recollige supra notam s. XIX. & intelli-
ges, ad conservandam armoniam, & unita-
tem Ecclesiæ non esse necesse, ut jura Pasto-
rum dependeant immediate a beneficio, favore,
arbitrio Primatis.

Quum Prælaturarum consecutio plurimum
dependeat a favore Curiæ Romanae, qui bene-
ficiis maectantur, solent se in grati animi obse-
quium nominare "Dei & Apostolicæ Sedis gra-
tia Episcopos." Opportune observa singu-
larem Titulaturam, quam legi in Tabullario
Episcopatus Petenensis in Istria cum alibi, tum
in Protocollo Actorum Judicialium anni 1572.
& 1573. his verbis: "Georgius Raütgartler
,, Dei, ac Serenissimi Principis Caroli Archi-
,, ducis Austræ gratia electus Episcopus Pete-
,, nensis." Unde conjecti in Catalogo MS.,
quem confeci, illorum Episcoporum, eum E-
piscopum quod fors ob tenuitatem Præbendæ
non posset facere sumptus necessarios pro con-
secratione, non fuisse nisi tardius consecratum,
& interea titulo suo obsequium retribuisse suo
Principi Patrono tunc in Styria regnanti,
quem ceteri tribuunt Summo Pontifici.

§. XXX.

Episcopi tenent Ecclesias jure divino.

De jure humano itaque definiuntur Ec-
clesiæ, quatenus auctoritate Ecclesiæ Episco-
pis determinatur, hic potius quam alter popu-
lus, idem augetur, diminuitur, subtrahitur. Ast
jure

jure divino Episcopi tenent Ecclesias, quas sibi determinat Ecclesia, ex sibi insita per sacram ordinationem auctoritate, & divino mandato curant greges, qui sibi obveniunt in sorte, & divisione; nec amplius praestat Ecclesia, quam individuat portionem i pascendam ei, qui jus habet ex divina institutione ad aliquam partem indeterminate.

* Cape, si licet uti exemplis: si decuriæ bajulorum committerem: Euntes imponite humeris vestris pondus, quod est plurimum centauriorum, meamque in domum portate. Omnibus & singulis committerem portandum universum pondus; atque adeo omnium cura esset, ut universum pondus inferretur; cujusvis vero, ut humerum suum supponeret ponderis lateri alicui, quod ego non determinavi. Jam si arreptum secundum latera seu ad libitum, seu ex consensu, seu ad nutum decurionis, vel sociorum pondus inferatur domui meæ; omnes ex immediata mea commissione portarent, licet ipse non determinaverim latera arripienda, & merito a me mercedem expectarent; sic cum proportione.

§. XXXI.

Idem probatur.

Argumento supra (a) allato, dum de Episcoporum juribus disputaretur Tridenti, usi sunt Pontificii, quibus respondit *Joannes Fonseca* Theologus Archiepiscopi Granatensis, esse immediate ex divina institutione Rom.

Pon-

Pontificis utramque potestatem Ordinis, & Jurisdictionis, eo quod esset Successor D. Petri, licet a Cardinalibus elevetur ad Pontificatum, & addo: licet jus humanum regulet exercitium potestatis ipsius. Ergo similiter ceteri Episcopi utramque potestatem habent immediate a Deo, eo quod sint Successores Apostolorum (vide supra (b).), licet instituantur a Papa, vel aliis Confratribus. *Bartholomaeus de Martyribus Archiepiscopus Bracarense*, vir eximia pietate, sustinuit, Episcopis in sacra Ordinatione conferri potestatem tam *Ordinis*, quam *Jurisdictionis*. Id probabat ex Ritu sacræ Ordinationis, qui omnino mereatur attentionem (c). Observabat eodem Ritu ordinari quoque Episcopos Titulares, ipsis dari *baculum Pastoralis Officii*, *annulum* desponsationis Ecclesiæ, *Evangelium* ad prædicandum populo eorum curæ commisso, ipsis assignari populum aliquem, vel orbem, quod manifesto est argumento, Episcopatum sine jurisdictione, & populo non subsistere.


(a) §. XXVIII. (b) §. XIII. XIV. (c) In Pontificali Rom. de Consecrat. Electi in Episcopum.

* Habent igitur Episcopi ex sacra Ordinatione utramque potestatem, seu ut lingua antiqua loquari, habent integrum Sacerdotium. Verum quos Christus Dominus voluit assumi ad Sacerdotium, non spoliavit infirmitate humana, adeoque permisit esse labiles seu in dogmate, sive in moribus. Igitur si evadant moribus ad destructionem magis, quam ad ædificationem.

ficationem: item si labantur in fide; adversantur sacro Christi systemati, nec vult, ut exerceant auctoritatem, cuius indelebilem retinent characterem. Unde ex Christi mente Ecclesia subtrahit ipsis portionem solitudinis, & gregis dominici depositione, degradatione, abscissione.

Quod vero Ecclesia non tollat jurisdictionem, seu non diminuat Sacerdotium; sed subtrahat solum subjectum, portionem gregis dominici, impedit exercitium Sacerdotii, affirmo arg. cap. 7. Sess. XIV. Concilii Trid. scientis, "ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet penitentes a quibusvis peccatis & censu, ris absolvere possunt;" quo loco Tridentinum nihil reservat, quominus solvatur in mortis articulo a quovis Sacerdote, seu habente, seu non habente populum; immo uti amant interpretari, seu vivente, seu non vivente in communione Ecclesiae, Schismatico, haeretico, deposito, degradato; non reservat, inquam, hoc est, non subtrahit quibusvis Sacerdotibus quoslibet penitentes, seu subjectum, ut possint uti indelebili Sacerdotio, quod in Ordinatione receperunt.

Sed inquires: Episcopus depositus, degradatus vulgo valide exercet, quae sunt Ordinis; non vero ita, quae sunt jurisdictionis? Fateor, hanc esse aliquam difficultatem. Adversarii solvant mihi hanc, quam ego necto: Papa haereticus notiorius juxta ipsos excidit Jurisdictione, neque valide exercet ea, quae sunt jurisdictionis, quamvis utramque potestatem habeat immediate a Deo; qua ratione ipsi solverint hanc nodum, eadem solvit & alter. Ceterum



nimum confidenter affirmant, valida esse ab hismodi Ministris ea, quæ sunt Ordinis, quum tales arbitrer subjacere illi Christi sententiæ Matth. XVIII, 17. qui “Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut ethnicus, & publicanus.” Viderint Adversarii, an ethnici, & publicani præter baptismum aliqua sacra etiam valide administrent? Id ego modo non desiniam, interea suspicor, Adversariorum confidentiam afferendi esse ramusculum ad inventæ divisionis potestatis Ordinis, & Jurisdictionis.

His abunde solvuntur argumenta Adversariorum, in quibus neque seu Jurisconsultos, seu Theologos, neque politicos se exhibent, dum adhuc hodie ex factis Romanorum arguunt pro iuribus, quando post tenebras imposturæ nobis illucescit dies veritatis. Siquidem argumentum ex factis est bonum, tunc licebit concludere, etiam ea quæ sunt Ordinis, Episcopos habere a Papa, quum in Privilegiis Papalibus conceperatur Episcopis & benedicendi, & ungendi potestas, unde incaute excitant ad executionem quam expetit Febronius de Statu Ecclesiæ &c. cap. 9. §. I. “Eorum quorum dignitas læsa, & per elationem unius adeo depressa fuit, videre est, an non honor & conscientia eos obligent ad congrua quævis media adhibenda, quibus ordini Episcopali pristinum decus, & canonica independentia restituatur.”

§. XXXII.

Habent item Episcopi curam universæ Ecclesiæ.

Succedunt Episcopi Apostolis, qui acceperunt potestatem super terram, fuerunt missi in

in mundum universum, ad omnes gentes, ad omnem creaturam, quique Christi mandatum exequentes ita curabant eos, quibuscum versabantur, ut aliorum curam non negligerent. Episcopi similiter ita alligantur uni gregi, ut nequeant spiritu deesse Universæ Ecclesiæ: ita debent pascere peculiarem sibi commissum gregem, ut ipsum regant ad totius integritatem: ut incrementa, & decrementa reliquorum gregum se tangant, quod afficiant Pastoratum, cujus ipsi sunt participes, unde scribebat (a) Cyprianus: “Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.” Quæ Cypriani doctrina adeo communis erat ad ætatem usque Gratiani, ut eam retulerit in sua (b) Concordia Canonum.

(a) *Epist. VII. seu Lib. de Unit. Eccl.* (b)
can. 18. caus. XXIV. qu. 1.

§. XXXIII.

Non desunt vestigia Episcopatus universalis.

Exigente quidem pace, & concordia Ecclesiæ a sacris Canonibus subinde provisum est, ut quisque Episcopus esset contentus finibus suæ Dioecesis, nec sua auctoritate excurreret in alienas Dioeceses; sicque posita sunt frena mutabili humano ingenio. Sed non ita sublata est Episcopis auctoritas Universalis Episcopatus, curaque Universæ Ecclesiæ, ut illius



illius vestigia non legamus in factis legitimis Ecclesiæ. Eo jure D. *Paulus* (a) commendavit Timotheo Ecclesiam Ephesinam, & Tito Ecclesiam Cretæ insulæ; utrique vero commendavit curam extra illa loca, nec illam determinavit. Eo jure usus *Osius* synodum Alexandriæ celebravit, aliaque postmodum egit, quæ tanquam Cordubensi Episcopo non competitabant (b). Arbitror enim, illis temporibus non fuisse attentum ad subtilem juris apices; sed ad negotiorum substantiam; consequenter quum fuisse persuasum, æque ad omnes pertinere illibatam servare Religionem, facile a reliquis et si potioribus juribus fruerentur, cedebantur negotia iis, qui terminandis experientia, doctrina, & gravitate habiliores inveniebantur, neque de rigore attendebatur, quis prior de jure deberet loqui, sed quis de facto aptior esset ad loquendum. Eodem jure puto, *Cyrillum* Episcopum Alexandrinum processisse contra Nestorium Constantinop., & *Acacium* Constantinop. contra *Petrum Mogum* Episcopum Alexandrinum. Eodem jure puto, a Synodo *Antiochena* fuisse missum Gregorium Nazianzenum Constantinopolim, ut reliquorum, qui hæresi Ariana infecti non erant, Christianorum curam gereret; utut sit, quod illa reciproca vigilancia fors fuerit etiam canonibus stabilita, quum primævi canones regulariter habuerint originem a consuetudine, consuetudo vero habuerit fontem divinam insti-

institutionem. Eodem jure S. Athanasius ab exilio redux, ne Ecclesia Arianismo obrueretur, in variis Civitatibus, quas peragrabat, etiam si ad ejus Dicecesim minime pertinerent, non dubitavit plures ordinare, teste (c) Socrate. Eodem jure Eusebius Samosatenensis tempore persecutionis Arianæ sub Valente per Syriam, Phæniciam, & Palæstinam plures diaconos, presbyteros, & Episcopos ordinavit militari habitu indutus, ne cognosceretur, teste (d) Theodoreto. Extant alia exempla in Historiis, quæ rite de eo jure intelliguntur. Eam solitudinem in S. Athanasio laudavit (e) Basilius, item (f) Gregorius Nazianzenus. Idem (g) Gregorius curam Universalis Ecclesiæ laudavit in S. Cypriano.

(a) *Supra* §. XXV. (b) *infra* §. XCVIII.

(c) *Lib. 2. Hist. Eccl. cap. 24.* (d) *Lib. 4. Hist. Eccl. cap. 12.* (e) *Epist. 52. ad Athanasium* verbis: “Tantam geris omnium Ecclesi-

rum curam, quantam ejus, quæ tibi pecuniariter a Domino nostro concredita est.”

(f) *Orat. 21. Cum Alexandrino populo præfectus fuerit, idem sit, ac si universo terrarum orbi præfectus fuisset.*” (g) *Orat. 18. in S. Cyprianum* ait: “quod Episcopus Uni-

versalis fuerit; quod non Carthaginensi tantum Ecclesiæ, nec Africæ, verum Occiduis omnibus Regionibus, ac prope etiam Orientali omni, atque Australi, & Septentrionali oræ præfectus fuerit.”



§. XXXIV.

Neque hodie est absque effectu.

Neque hodie Episcopatus Universalis caret suo effectu. Nam eo jure Episcopi sedent Judices in Conciliis Generalibus, extra Concilia, promovente Romano Pontifice, consulunt necessitatibus Ecclesiæ. Non sunt violanda jura disciplinæ, nec cum perturbatione publica est excurrendum in aliena Territoria: ast jure Episcopatus Universalis sancte instituntur domi, quæ corrigant, ædificant extra-neos: pro opportunitate, & dexteritate laudabiliter aguntur, promoventur illa, quæ prævidemus paritura fructus, quos expetimus, nec nostro brachio exequi valemus.

§. XXXV.


Nec tot sunt Papæ, quot Episcopi.

Nec tamen contra unitatem Ecclesiæ, tot creamus Papas, quot sunt Episcopi. Erant enim Apostoli pares S. Petro: sunt Episcopi pares Petri Successoribus Romanis Pontificibus in juribus essentialibus Episcopatus; Sed Pontifices Episcopis præminent juribus accidentariis, & extrinsecis (a), quæ jura accidentaria, sicuti privative propria sunt Pontificis, sic unus est Papa in universa Ecclesia, licet

licet auctoritas intrinseca sit ipsi communis cum reliquis Episcopis. Id non obscure tradit Augustinus ita scribens (b) ad Bonifacium Papam : “ *Communis est nobis omnibus, qui fungimur Episcopatus officio (quamvis ipse in eo celsiore fastigio præmineas) specula Pa-*
„ floralis. ” Peccavit igitur Fagnanus, si obtentu Primatus exuerit ceteros Pastores auctoritate ipsis a Deo concessa, feceritque Romanum Pontificem *Episcopum Universalem*, ornaveritque eum charactere, quem strenue a se rejicit Gregorius Magnus (c): “ Si unus Universalis est, inquiebat, restat, ut vos Episcopi non sitis. ” Rejecit a se S. Doctor non vacuum titulum *Universalis*; nec enim Gregorius pro sua gravitate disputabat de levi duntaxat umbratilis tituli quæstione: non *Primatus universalitatem*, quam exclusive convenire soli Petri Successori, non ignorabat; sed *talem universalitatem*, qua in juribus essentialibus par non esset Primas reliquis Episcopis: sed *potestatis plenitudinem* talem, qua solus totum possideret, aliisque quicquid haberent, pro arbitrio concederet, eo titulo significatam, quam Pontifici Romano vindicare immerito conatus est Fagnanus.

(a) *Supra* §. XIX. (b) *Lib. contra duas Epist. Pelagii cap. 1.* (c) *Lib. 9. Epist. 68. nov. Edit.*





C A P U T II.

DE POTESTATE CIVITATIS.

§. XXXVI.

Majestas Imperii remanet salva in Ecclesia.

Prædixerat pridem (a) Isaias : “ Et aperi-
„ entur portæ tuæ jugiter : die , ac nocte
„ non claudentur , ut afferatur ad te fortitu-
„ do gentium , & Reges earum adducantur.“ Patent hodie portæ Ecclesiæ sic Regibus , si-
cuti subditis. Fons baptismalis , per quem
intratur in Ecclesiam , non abluit officia , quæ
Principes inter & subditos intercedunt ; Prin-
cipes igitur ingrediuntur Ecclesiam : Princi-
pes salva Majestate remanent in Ecclesia.

(a) LX. 11.

§. XXXVII.

Eam inviolabilem docuit Christus.

Eam inviolabilem docuit Christus ; si
quidem spirituale exercuit regimen , nec ter-
renam voluit imminui potestatem (a) . In
Ecclesia igitur invariata perseverant jura Prin-
cipum , quæ ipsorum fuisse noscuntur extra
Ecclesiam. In Ecclesia retinent subjecta cun-
cta suam conditionem , & Principum præse-
ferunt

ferunt inscriptionem; unde absque subterfugio standum est Mandato (b) Christi: “ Reddite „ ergo quæ sunt Cæsar, Cæsari. ”

(a) *Supra* §. V. VI. (b) *Matth.* XXII. 21.

§. XXXVIII.

Et post Christum Apostoli.

Quamobrem memores dominici Mandati Apostoli cultum Majestati Principum debitum solicite commendarunt. Paulus secluso dissimile conditione, gradus omnibus mandavit subjectionem, quæ est radix totius observantiae Regalis: “ *Omnis*, inquit (a), anima „ Potestatibus sublimioribus subdita sit. ” Idem prædicandum mandavit Tito, & in Tito ceteris Pastoribus: “ Admone illos, scripsit „ (b), Principibus & Potestatibus subditos „ esse, dicto obedire. ” Sustulit denique Petrus (c) omnem inobedientiæ prætextum: „ Subditi estote in omni timore dominis, non „ tantum bonis, & modestis, sed etiam dys- „ colis. ”

(a) *Rom.* XIII. 1. (b) *Tit.* III. 1. (c) *Epiſt.* I. cap. 2. v. 18.

* Hanc doctrinam semper professa est Ecclesia, uti testantur Justinus in *Apol.* 2. ad *Imperatores*. “ Solum Deum adoramus, & vobis „ in aliis rebus læti inservimus. ” Theophilus *Serm.* ad *Autolycum*: “ Divinæ legis hic te- „ nor est: honora, fili mi, Deum & Regem, „ nec cuiquam eorum inobediens sis. ” Tertu-

Iianus libro ad Scapulam: "Colimus ergo Imperatorem sic, quomodo nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum." Jam a Principum obedientia neminem eximi tradunt in cap. 13. Epist. ad Rom. Chrysostomus verbis: "Etiam si Apostolicus sis, si Evangelista, si Prophetas, sive quisquis tandem fueris; neque enim pietatem subvertit ista subjectio." Item Theodoreetus, Theophylactus, Oecumenius.

§. XXXIX.

Est ejus finis pax publica.

Est Principatus Civilis finis pax publica. "Quoniam absens a Deo homo in tantum efferavit, inquit (a) Irenaeus, ut etiam consanguineum hostem sibi putaret - - - - Imposuit illi Deus humanum timorem, ut potestati hominum subjecti, & lege eorum astricti aliquid assequantur justitiae & moderentur ad invicem, in manifesto positum gladium timentes." Unde tanquam pro pacis, & tranquillitatis Vindicibus Paulus (b) obsecrabat omnium fieri orationes, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus."

(a) Lib. 5. cap. 24. (b) 1. Tim. 11. 1. 2.

§. XL.

Pax publica capit influxum ab Ecclesia.

Corpora itaque, eaque quæ corporibus adjacent, eorumque motus, actionesque subjici-

jiciuntur Civilis Potestate. In eorum omnium æquilibrio manet pax publica Civitatis. Jam seu quies externa , seu motus exterior Civium pendet ab animo , & ab iis , quibus animi afficiuntur , affectibus internis , qui subsunt Ecclesiæ auctoritati. Spiritus igitur interior Civium , sicuti valet ad confirmandam quietem externam ; sic quoque valet plurimum ad turbandum æquilibrium externum. Unde pax , & tranquillitas publica capit influxum ab Ecclesia.

* Respice mundi theatrum , & videbis , quanta sit vis spiritus , & Religionis. Acta Martyrum ostendunt vim Religionis esse superiorem omni ferro , igne , & potentia ; quanquam advertas velim , non solum affectum fuisse operatum in Martyribus , sed vim cœlestem , quae fortes extiterunt Martyres ad reddendum testimonium Religioni.

Sed sunt suæ vires etiam fanatismo , uti observabis , si respicias ad facta tragica Donatistarum ; ad facta tragica recentiora Albigenium , Waldensium in tota ferme Europa , Thaboritarum in Bohemia , sacrarum ligarum in Gallia , Evangelicorum in Germania.

§. XLI.

Amplius a pace data Christianis.

Antequam Christianismus fuisset Civitate donatus , cogebatur adeo latere , ut crederentur Christiani carere Sacerdote , Sacrificio , & Altari , quæsiverint angulos , & latebras , ut

se Gentilium persecutionibus subtraherent; unde (a) Cæcilius de Christianis: "Latebrofa & „ lucifuga natio, inquietabat, in publicum mu- „ ta, in angulis garrula; Templa ut busta „ despiciunt, deos despunt, rident Sacra, „ miserantur miseri, Sacerdotum honores, & „ purpuras despiciunt ipsi seminudi." A quo autem coepit Christianismus pace frui beneficio Imperii, sublatum est, non modo impedimentum publice prodeundi; sed etiam timoris frenum, quo Pastores antea sua cura etiam interiore infra mediocritatem contineri cogeabantur. Apparuerunt conspicui Sacerdotes, ipsorumque gradus, & dignitates, eriguntur Templa, & Altaria, celebrantur Festa, & Solemnitates, sit usus publicus Rituum, & cœremoniarum, facta est multorum necessitas, tum subsecuta necessitas canonum, qui ordinarent externam, & publicam disciplinam, in qua ordinanda quam facile, soluto freno timoris, sit excurrere limites propriæ auctoritatis, quisque intelligit; quamobrem *in pacem* publicam amplius influit Ecclesia, a quo est Civitate donata.

(a) Apud Minutum Felicem in Octavio.

* Primis temporibus Episcopatus erat meta persecutionum, & idem erat, eligi Episcopum ac Martyrem designari; hinc Episcopatus non suscipiebantur, nisi pio motu charitatis, & submissionis, ut observat Fleury Disc. 11. §. 4. in Hist. Eccl. Sed vix data pace Ecclesiæ cœperunt expeti, tanquam fastigia honorum,

&

& dignitatum, ut observat Pluquet in *Diction.*
bæref. tom. V. cap. 3. ad secul. IV. sunt Schis-
mata, Cæciliiano Episcopatum Carthaginensem
invidenter Botrus, Celestius, Majorinus, Dona-
tus, turbant Africam, ita ut turbæ illæ ex-
presserint querelam a piissimo Imperatore Con-
stantino: “Illud mihi permolestum videtur, ut
„ in his Provinciis, quas divina Providentia ul-
„ tro ac sua sponte sub meum subjunxerit Im-
„ perium, & in illis locis, in quibus crebra
„ hominum frequentia versatur, non modo
„ multitudo ad deteriora deflectat, & distra-
„ hatur dissidiis, sed Episcopi etiam discordiam
„ inter se ipsi exerceant.” Ita in sua Diva ad
Melchiadem apud Labbè *tom. I. pag. 1405.*
Est semper laudanda Pastorum solicitude custo-
diendi integrum depositum fidei, & disciplinæ;
sed nolim definire, an percussi aurora liberta-
tis, & favoris Civilis Episcopi contra Donatis-
tas servaverint exactam moderationem. *Vide*
infra §. *XLVII.* Quanto zelo Christiani ex-
canduerint contra Paganos, conjicimus inde,
quod indiguerint refrigerio Legis Honorii Imp.
„ Sicut Sacrificia prohibemus, ita volumus
„ publicorum operum ornamenta servari.” *L.*
I5. de Pagan. Cod. Theodos. nec tamen Romæ
furori Christianorum subductum sit, nisi solum
Pantheon (*vid. Baron. in not. ad Martyrol.*
Rom. ad diem 13. Maii verbo *Dedicatio lit. a)*
non absque detimento Architectorum, & dolo-
re studiosorum antiquitatis. *Leo Papa Epist.*
65. ad Anatolium Epis. C P. suasit eidem, ne
negligeret uti Clementia, & propensione Mar-
ciani Imp., aggredique illud omne, quod utile
crederet Ecclesiæ, ut observavit Tillemont.
Hist. des Emp. tom. VI. pag. 286. Sed ausi
sunt majora. *Anatolius coronavit Leonem*



Imp. Successorem Marciani; sive stravit viam arbitrandi de Imperio; Euphemius enim Successor Anatolii renuit imponere coronam Anastasio electo Imperatori a Senatu, eo praetextu quod haereticus non possit regnare in Orthodoxos, nec antea cessit, quam Imperator scriptotenus promisisset, se integerrime fidem conservaturum; ut scribunt Tillemont Hist. des Emp. tom. VI. pag. 534. Natalis Alex. in Synopsi Hist. Eccl. Sec. v. cap. 6. art. 8. Verum quid plura, respiciatur retro, an aperto Marte Principes potuerint perdere plus, quam sensim ipsi sublatum est per Clerum?

§. XLII.

Unde vi Summi Imperii sunt Principum Officia.

Consequitur igitur, teneri Principes vi Summi Imperii, & Regiminis Civilis sollicite providere; 1. ne interior Spiritus Religionis turbet pacem publicam. 2. ne disciplina exterius se expandens praejudicet Civitati. Unde quum Christianismus verus maxime congruat Reipublicæ, recte provident Principes, ne in doctrina, & moribus patiatur alterationem; recte arcent dissidia, & dissidiorum, litiumque seminaria, & si qua orta sint, recte curant, ut quantocius sopiantur, & mediis legitimis finiantur.



§. XLIII.


§. XLIII.

Eo consilio egerunt Imperatores.

Eo consilio convocarunt Synodum Ephesinam Theodosius, & Valentinianus Impp. his enim præliminaribus utuntur in sua *Sacra* Cyrillo Episc. Alex. & Episcopis Metropolitanis Provinciarum scribentes, “*Pendet a Religione* qua Deus colitur, nostræ Reipublicæ status, multaque inter hunc & illam *cognatio* ac familiaritas intercedit. Nam & connexa inter se sunt, & utrumque propter alterius successibus incrementa sumit.”

(a) Eodem consilio fuit celebrata Synodus Chalcedonensis; uti colligimus ex Pulcheriæ Augustæ *Sacra* (b) ad Strategum Consularem Bithyniæ, cui Synodi curam commendabat, antequam Nicæa Chelcedonem fuisset translatæ, in qua notanter scribebat: “Intentio nostræ tranquillitatis est ante Civiles causas, sanctas Christi Ecclesias, eisque dicatos, in pace consistere, & orthodoxam fidem, quam continere judicamus nostrum Imperium, immo perturbatam, & immotam ab omni hominum genere custodiri.” Referebant Præfecti Marciano Imp. fieri ab Hunnis ingentes apparatus ad bellum inferendum, & ob metum hostium perturbari, ac trepidare Universum Illyricum. Constituerat quidem Imperator exercitum in hostes ducere; sed voluit prius Synodo, consulere fidei, & auferri dissidia.

Cur



Cur ita ; nisi quod non crederet, se fatis fortem
ad occurrentum hosti , si civium animi dis-
fideant Religione. ?

(a) Part. 1. Conc. Ephes. cap. 32. apud Labb .
tom. III. pag. 436. (b) Part. 1. Conc. Chalc.
apud Labb . tom. IV. pag. 70.

§. XLIV.

Facta probarunt Pontifices.

Curam ex eo consilio probavit C elesti-
nus Papa , in sua *Epist. ad Theodosium Imp.*
qua laudavit solitudinem Imperatorum no-
tanter ex ea causa , quod fidei puritate fir-
mius reddi Imperium crederent : “ In hoc sem-
” per , ait , *munimen vestri* constituentes Im-
” perii , scientes Regnum vestrum sanctae Re-
” ligionis observantia communatum firmius
” duraturum . ” (a) Eandem curam probavit
Leo Papa , ut ex ipsius *Epist.* (b) *ad Marcia-
num Aug.* apparet : “ Popolceram quidem , in-
” quit , a Gloriosissima Clementia vestra , ut
” Synodum quam ad reparandam Orientalis
” Ecclesi  pacem etiam a nobis petitam ne-
” cessariam judicatis , aliquantis per differri ad
” tempus opportunius juberetis : ut liberio-
” ribus ab omni perturbatione animis , hi quo-
” que Episcopi , quos hostilitatis metus deti-
” net , convenienter . Sed *quia* pio studio hu-
” manis negotiis divina pr ponitis , & *ratio-*
” *nabiliter ac religiose Regni vestri viribus cre-*
” *ditis*


„ ditis profuturum , si nulla sit in Evangelii prædicatione discordia : ego etiam vestris dispositiōnibus non renitor ; “ quæ addunt lumen dicitis §. præc.

(a) Part. 2. Conc. Ephes. Act. 11. apud Labbe Tom. III. pag. 619. (b) 73. Edit. Quenellii.

§. XLV.

Principes debent Ecclesiæ Advocatiam.

Quam hactenus potestatem Principibus vindicavimus eam desumpsimus ex relatione, quam habet Ecclesia ad Civitatem. Sed Ecclesiæ ratione sui debent etiam Principes Christiani beneficium præsidii , & advocatiæ; nam imprimis est illud officium , ut tutos reddant quosvis , quos donant Civitate; sic David de filio suo Salamone (a) inquiebat : “ Humilabit calumniatorem - - - liberabit pauperem a potente : & pauperem cui non erat adiutor - - - animas pauperum salvas faciet , ex - - - iniquitate redimet animas eorum . ” Ideo gladium portant, ut ait (b) Paulus, ut sint Dei ministri , vindices “ in iram ei , qui malum agit . ” Igitur præsidium , & advocatiam , quam debent Principes Civibus , iuribusque ipsorum ; cur denegarent Ecclesiæ , a quo illam Civitate donarunt ? Deinde illam potiore jure debent Ecclesiæ , quod ejus aquis baptismatis renati contraxerint debitum filialis reverentia erga illam , pro qua nequeunt pati vel



vel injuste opprimenti Matrem, vel ei deesse, quod reliquis non denegant.

(a) *Psal. 71. v. 4. 12. 13. 14.* (b) *Rom. XIII. 4.*

* Istud Christianorum Principum officium agnovit Constantinus M. unde, ut refert Eusebius lib. 4. de vita ejusdem cap. 24. "cum Episcopos aliquando convivio exciperet, se quoque Episcopum esse dixit, his fere verbis usus nobis præsentibus: vos quidem in iis quæ intra Ecclesiam, ego vero in Iis, quæ extra geruntur, Episcopus a Deo sum constitutus." Constantini sollicitudinem imitari posteros ejus Imperatores, semper expetiit Ecclesia. Profecto Cælestinus Papa Epist. ad Theodosium Juniores ad custodiam fidei contra errorem Nestorii excitat ipsum exemplis Abrahæ, Moysis, Davidis, quam Epistolam suffragio suo probavit Synodus Ephesina Act. II. Vid. part. 2. Actor. apud Labbe tom. III. pag. 619. Eodem pertinent laudes, quibus Imperatores ornat Leo Papa: affirmat eundem Theodosium Juniores gaudere, sibi "non solum Regium, sed etiam Sacerdotalem, animum inesse: " Epist. ad eundem Aug. 21. Attribuit Leoni Imperatori Sacerdotalem, & Apostolicum animum, Epist. 125. Ipsum "ad totius mundi pacem Chalcedonensis Synodi, Custodem" vocat, Epist. ad eundem Aug. 122., ut excitet ad defensionem ejusdem Synodi, quam retractari nonnulli pertendebant. Vocat Marcianum Custodem fidei, Epist. ad Anatolium Epis. CP. 106., & ad confirmandos Eundem, & ejus Conjugem Pulcheriam Augustam affirmat, ipsis "non solum Potentiam Regiam, sed etiam Sacerdotalem --- inesse doctrinam;" Epist. ad Pul-

Pul-

Pulcheriam Aug. 90. & ait, "ipsis fervorem si-
,, dei divina inspiratione conferri ; " Epist. ad
Julianum Episc. Censem 88. Edit. Quenellii.

Objiciebant Donatistæ : " Non invenitur
,, exemplum in Evangelicis , & Apostolicis li-
,, teris , aliquid petitum a Regibus terræ pro
,, Ecclesia contra inimicos Ecclesiæ ; " respon-
det Augustinus Epist. 93. alias 48. ad Vincen-
tium debuisse expleri prius prophetiam : " Asti-
,, terunt Reges terræ , & Principes convene-
,, runt in unum ad versus Dominum , & adver-
,, sus Christum ejus , " hinc sequi præsidium
Ecclesiæ a Principibus , ad quos nunc Christianos
pertinet illa prophetia : " Et nunc Reges
,, intelligite , erudimini qui judicatis terram ,
,, servite Domino in timore . " Ceterum non
est prætermittendum , quod scribit Augustinus
Epist. 186. alias 50. ad Bonifacium Comitem :
,, Quis mente sobrius Regibus dicat , Nolite
,, curare in Regno vestro , a quo teneatur , vel
,, oppugnetur Ecclesia Domini vestri : Non ad
,, vos pertineat in Regno vestro , quis velit es-
,, se fide religiosus fide sacrilegus : quibus dici
,, non potest : Non ad vos pertineat in Regno
,, vestro , quis velit pudicus esse vel impudici-
,, cus ? Cur enim cum datum sit divinitus ho-
,, mini liberum arbitrium , adulteria legibus
,, puniantur , sacrilegia permittantur ? An fi-
,, dem non servare levius est animam Deo ,
,, quam fœminam viro ? " Cogita alias instan-
tias , & intelliges , Principes portare gladium ,
sicut in vindictam aliorum criminum , sic in
vindictam criminis contra Religionem . Vid.
Natal. Alexan, Diff. III. Hist. Eccl. Secul.
XIII. & XIV.

§. XLVI.

Objectum Advocatiæ.

Auctoritas Ecclesiæ est spiritualis, & spirituales parit effectus; parit vero effectus temporales temporalis potestas Civilis (a). Ecclesia regitur credendis, & agendis. *Agendis* contravenitur voluntate. Igitur Principes, ut Advocati Ecclesiæ, recte adiungunt sanctione civili ad observantiam agendorum. *Credendis* contravenitur vel ignorantia, vel errore contrario intellectus. Igitur quum intellectus emendetur magisterio, & non pœnis; Principes, ut Advocati, recte provident, ut ignorantibus discant, quæ ignorant, & errantes descendant, in quibus aberrarunt. Sed seu ignorantia, seu error intellectus potest esse effectus voluntatis, quæ sola pœnam patitur; sit enim, ut quidam ignorent, quia discere negligunt: ut alii errant, quia regi potius amant proprio præjudicio, quam Ecclesiæ auctoritate, quales sunt hæretici; tunc Principes Sanctionibus Civilibus tollunt torporem, & excitant descendendi studium; errantium vero frangunt temeritatem, & pertinaciam ad resipiscendum.

(a) *Supra* §. X. XXXIX.

§. XLVII.

Adhibenda moderatio in usu.

Est finis potestatis Civilis pax publica. Igitur Principes vi Summi Imperii inspiciunt,

&

& moderantur eos Ecclesiæ motus errorum, & criminum externos, qui pares sunt turbādæ paci publicæ; curiosius non inquirunt interna hominum, nec se ingerunt externis, si qua indifferentia sunt ad publicam pacem. Officium Advocatiæ Ecclesiæ excitat Principum Christianorum solicitudinem etiam circa interiora, item externa, quæ non connectuntur adeo cum publicis; attamen moderatione utendum est; nam renuit imprimis (a) systema Christi vim, & coactionem; Principum deinde favorem erga Ecclesiam, & rigorem contra ejusdem adversarios extitisse bonis causam abusus, malis causam ausus, referunt Historiæ.

(a) *Supra §. VIII.*

* Amor proprius, & studium captandæ famæ fuit semper appetitus prædominans in hominibus, evasit etiam in Christianis potissimum, a quo cessarunt persecutio[n]es, quæ reprimebant affectus, & a quo Principes cœperunt donare suos favores Cultoribus fidei, & pietatis. Inde conceptum est studium excellendi, suntque parti effectus multiplicis abusus. Non desunt exempla; sic studium captandæ famæ pietatis peperit supersticiosos cultores Mariæ Collyridianos, teste Epiphanio hæres. 79., peperit Discalceatos, teste Augustino lib. de hæres. cap. 68., Studium affectandæ observantiae disciplinaris peperit schisma Donatistarum: affectandi horroris in Arium peperit Colluthianos, teste Epiphanio hæres. 69. & Philastrio hæres. 88., Studium denique excellendi contra Apollinarem



deduxit Theodorum Mopsuestenum ad jacientia fundamenta Nestorianismi; contra Nestorium deduxit Eutychen ad fundandam novam hæresim.

Contra rigor gladii Civilis dedit Donato causam inspirandi suis fanaticum martyrii, quo occupati Circumcelliones replebant cædibus Africam, & se occidendos ultra offerebant Aggressoribus. Eiebant reciprocæ querelæ: conquerebantur Donatistæ, se suggestionibus Osii, & Catholicorum inauditos duci ad supplicia; a se repellebant querelas Catholicæ causam persecutionis, & rigoris rejicientes in Donatistas, ut constat ex Augustino lib. I. contra Epist. Parmeniani cap. 7., & tunc tandem æmulatio finem accepit, quando Gensericus Rex Wandalorum Arianus dira persecutione afflixit æque Catholicos, ac Donatistas. Aliæ quoque hæreses post anathemata Ecclesiæ, & proscriptiones Imperiales tunc tandem intermisserunt, quando fervor Legum, & anathematum cœpit versari circa aliquam novam hæresim. Vid. infra §. XCII.

§. XLVIII.

Unde est nexus Ecclesiæ & Civitatis.

Nexum itaque Ecclesiæ & Civitatis collige ex verbis (a) Ifidori Hispalensis: “Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam Potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ „sermo-

„ sermonem , id *Potestas* Principalis imperet
 „ per disciplinæ terrorem . Sœpe per Regnum
 „ terrenum Regnum cœleste proficit ; ut qui
 „ intra Ecclesiam positi contra fidem , & dis-
 „ ciplinam Ecclesiæ agunt , rigore Principum
 „ conterantur , ipsamque disciplinam , quam
 „ Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet ,
 „ cervicibus superborum Potestas Principalis
 „ imponat , & ut venerationem mereatur , Po-
 „ testas impertiat . “ Quæ apta cum hacte-
 nus dictis .

(a) *Lib. de Summo Bono cap. 52. relat. a Con-*
ciliis Parisiensi VI. & Aquisgranensi I.

§. XLIX.

Non sequitur esse imperfectam Ecclesiam.

Christus , inquies , non minus perfecte ordinavit suam Ecclesiam , quam sit bene ordinata quævis fibi sufficiens Respublica . Sed in ejusmodi Respublica sunt sua jura , quin necesse fit extra recurrere . Igitur Ecclesia etiam habet jura propria , nec habet necesse , recurrere ad gladium Civilis Potestatis . Verum adverte , non esse locum ratiociniis ; non enim quærimus *de jure* , & quid Christus potuerit , vel debuerit ordinare ; sed loquimur *de facto* , & quomodo reapse ordinaverit Ecclesiam . In hac facti quæstione Scriptura docet , regimen a Christo institutum esse spirituale (a) , & ad hoc est fibi sufficientissima Ec-



clesia. Conducit quidem subinde gladius etiam Civilis Potestatis, ast docent Scripturæ, Christum reliquisse gladium in manibus Possessorum suorum (b) non absque Augusto consilio, quod decet venerari. Et omnino si præter institutum Christi hæc terrena implicitent adeo multos, ut patientur sibi elabi ex conspectu spiritualia; quanto magis offudissent animum, si forent de instituto?

(a) *Supra* §. V. VI. (b) *Supra* §. XXXVI.
E seq.

§. L.

Non obest imperium Gentilium.

Sed dices: si asserta jura conveniunt Potestati Civili, eadem convenisse Tiberio, & Caligulæ, Domitiano, & Diocletiano, & ceteris Augustis, utut persecutoribus Ecclesiæ? Recte; & quale absurdum inde sequi, meditaris? Erant æque illi Gentiles, ac sunt Christiani Principes; a Deo ordinati illi, sicut a Deo ordinantur Christiani, ut pulchre tradit (a) Augustinus; proinde jura Summi Imperii, quæ vindicavimus Principibus Christianis, Gentilibus etiam conveniebant. Id judicio, & facto suo comprobarunt numerosi (b) Patres Concilii Antiocheni anno 270. dum contra Paulum Samosetanum recurrerunt ad præsidium *Aureliani* Imperatoris Gentilis, ut referunt (c) Eusebius, & (d) Theodoretus. Nec

ob-

obstat, quod phrenesi Idololatriæ, aliorumque errorum abrei sua potestate abusi sint persequendo Ecclesiam; nam quod ipsi phrenesi correpti & ratione, & lingua, & aliis potentiis distorte utamur; non sequitur, & rationem, & linguam, & reliquas potentias nobis non esse a Deo concessas in bonum usum, & utilitarem nostram. Sunt Principibus alia jura Advocatiæ, quæ debent Ecclesiæ, quod ipsa nunc gaudeat Civitate, & quod ipsi subjiciantur Principes per baptismum, quibus non erant obnoxii Gentiles Principes.

(a) Lib. 5. de Civit. Dei cap. 21. “ Quæ
 „ cum ita fint, non tribuamus dandi regni at-
 „ que imperii potestatem, nisi Deo vero, qui
 „ dat felicitatem in regno cœlorum solis piis:
 „ regnum vero terrenum & piis & impiis: si-
 „ cut ei placet, cui nihil injuste placet. ---
 „ Ille igitur unus verus Deus, qui nec judi-
 „ cio, nec adjutorio deserit genus humanum,
 „ quando voluit. & quantum voluit, Roma-
 „ nis regnum dedit: qui dedit Assyriis, vel
 „ etiam Persis: a quibus solos duos deos colii,
 „ unum bonum, alterum malum continent li-
 „ teræ istorum: --- qui ergo Persis dedit sege-
 „ tes sine cultu deæ Segetiæ: qui alia dona
 „ terrarum sine cultu tot deorum, quos isti
 „ rebus singulis singulos, vel etiam rebus sin-
 „ gulis plures præposuerunt: ipse etiam reg-
 „ num dedit sine cultu eorum, per quorum
 „ cultum se isti regnasse crediderunt. Sic etiam
 „ hominibus, qui Mario, ipse Cajo Cæsari:
 „ qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasia-
 „ nis, vel patri, vel filio sua vissimis Impera-
 „ toribus, ipse & Domitiano crudelissimo. Et



„ ne per singulos ire , necesse sit , qui Constantino Christiano , ipse Apostatae Juliano , cujus egregiam indolem decepit amore dominandi sacrilega , & detestanda curiositas . “

(b) Pene infinitos fuisse , scribit Eusebius : fuisse septuaginta , scribit Athanasius in libro de Synodis : fuisse centum , & octuaginta , recenset libellus supplex Basilius Diaconi , & Monachorum ad Imperatorem contra Nestorium .

(c) Lib. 7. Hist. cap. 23. & 24. (d) Lib. 2. haeretic. Fabular. cap. 8.

§. LI.

Non obest divisio Regnorum.

Replicabis , quam male constituta esset hodie Ecclesia , si ipsius unitas deberet præsidium expectare a Potestate Civili , dum quot sunt Summi Principes , tot non raro adfunt rationes politicæ , quæ illos trahunt in discrepantes sententias . Verum rationes politicæ aptantur suo objecto temporali , quod tota natura differt ab objecto spirituali Ecclesiæ ; & si rationes politicæ captarent occasionem ex causis Ecclesiæ ; providentissima cura Auctoris Ecclesiæ , qui hunc ordinem instituit , non deerit sponsæ suæ , ut & ipsa detrimentum non capiat , & abusus recidat in damnum abutentis .

§. LII.

§. LII.

Non denique timendus abusus.

Sed quid, inquies, si Summi Principes juribus assertis abuterentur? aut si redirent tempora Neronis, & aliorum? Tunc esset agendum, quod actum est sub Imperio illorum Principum: quodque non caro, & sanguis, sed spiritus, quo animatur Ecclesia, suggerezret. Recogitemus tempora difficiliora hæresis Eutychianæ. Observa S. Leonem, quo æstu se opponat Theodosio: “Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes Mansuetudini vestræ cum gemitibus, & lacrymis supplicant Sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellatio- nis Flavianus Episcopus dedit; Generalem Synodus jubeatis intra Italianam celebrari;” (a) & dum advertit, se nihil profecisse, Magnus Pontifex obiit vices Primatis, consolatus est (b) Flavianum, eique suam opem promisit: eundem commendavit (c) Clero, populo, Fausto, & ceteris Archimandritis Constantinopolitanis; Anastasio item Thessalonicensi, aliisque Episcopis: causam Ecclesiæ in Oriente commendavit (d) Juliano Episcopo Coensi: adhibuit (e) apud Theodosium mediationes Gallæ Placidiæ amitæ, Pulcheriæ sororis, Liciniæ Eudoxiæ filiæ, Valentiani Imp. Occidentis generi. Interea in demortui Flaviani locum sufficitur in Episcopa-



tu Constantinopolitano Anatolius, inflexibilis
 Theodosius juxta disciplinam illius temporis
 petit a Leone communionem novo Episcopo;
 Leo alienus a vindicta, cavit fidei, & ulti
 indulget Imperatori, ut sic quem precibus &
 lacrymis nondum flexerat, Sacerdotali devin
 ciat benignitate. Pro periculo temporum
 conditione vult certiorari de fidei professio
 ne Anatolii, “ut autem salubribus curis ve
 „ locior pleniorque, auxiliante Domino, præ
 „ stetur effectus, “ seu ne videretur moras
 nectere, misit Constantinopolim Abundium,
 & Asterium Episcopos, Basiliū, & Senato
 rem Presbyteros Legatos suos, qui fidem A
 natolii experientur, eique impertirentur com
 munionem, blande votum Concilii celebra
 di rememorans (f). Confidit denique divi
 nis promissionibus: “ Unde quia, inquiens,
 „ non deserit Ecclesiam suam divina protectio,
 „ dicente Domino: *Ecce ego vobiscum sum om
 nibus diebus usque ad consummationem seculi,*
 „ eodemque opere & tempore Spiritus Dei
 „ & Clementiæ vestræ solitudinem & curam
 „ nostri cordis accedit, ut de remediis pro
 „ curandis eadem utrique cuperemus.” Ita
 (g) ad Pulcheriam Augustam.

- (a) *Epist. ad Theod. 39.* (b) *Epist. 42.*
- (c) *Epist. 45. 46. 47. 43.* (d) *Epist. 44.* (e)
- Epist. 41.* item *Epistolis post Leoninam 47.* (f)
- Epist. ad Theod. Aug. 52.* (g) *Epist. 48. Edit.*
- Quenellii.*



C A P U T III.

DE ECCLESIAE JURE CONVOCANDI CONCILIA.

§. LIII.

Ecclesia habet jus conveniendi in Conciliis.

Ecclesiæ auctoritas ex Christi institutione residet penes omnes Episcopos (a). Igitur ea auctoritate Prælati recte utuntur pro bono Ecclesiæ & sigillatim in suis Diœcesibus, & communicatis consilio, & solicitudine cum fratribus suis. Sed communicant optime, si convenient. Igitur ex natura, & conditione auctoritatis Ecclesiæ intelligimus, Pastores posse convenire, & formare cœtus, seu Concilia.

(a) *Supra §. XIII.*

* Recollige, quæ diximus *supra §. III.* Tribus primis Seculis convenerunt Apostoli, & ipsorum Successores Episcopi. Igitur crediderunt, se habere jus conveniendi.

§. LIV.

Conveniebant sub initium absque multis solennibus.

Primis temporibus absque multis solennibus Patres convenerunt. Legimus *Act. XV. 6.*

„ Conveneruntque Apostoli , & Seniores vi-
 „ dere de verbo hoc ; “ aliam Convocationis
 solennitatem præcessisse, non legimus ; nisi
 quod Paulus, & Barnabas, & quidam alii ex
 aliis Deputati Antiocheni retulerint subortam
 controversiam Apostolis , & Senioribus Hiero-
 solymis ; unde conjicimus ad relationem An-
 tiochenorum ex mutua conspiratione conve-
 nisse Hierosolymitanos. Jam *Act. VI.* 2. le-
 gimus : “ Convocantes autem duodecim mul-
 „ titudinem discipulorum &c. “ seu a Collegio
 Apostolorum fuisse congregatum illud Conci-
 lium.

§. LV.

Jus convocandi est apud Primatem.

Porro *Act. I.* 15. legimus : “ *Exurgens*
 „ Petrus in medio fratrum &c. “ unde illius
 Concilii promotorem fuisse Petrum intelligi-
 mus. Profecto a quo necessitas postulat uti
 solennibus in Ecclesiasticis negotiis, rite præ-
 mittitur Conciliis solennitas Convocationis, cu-
 jus jus ad quem magis convenit in Ecclesia,
 quam ad ejusdem Primatem, qui est centrum
 unitatis , & omnis motus Ecclesiæ ? Eam Pri-
 matis auctoritatē agnoverunt Patres Concilii
CP. I. dum scriperunt (a) ad Damasum, se
 convenisse, uti ipsum requisivisse postmodum
 intellexerunt : “ *Conveneramus , inquit,*
 „ *Constantinopoli ad literas a Reverentia ve-*
 „ *fira*

„ *stra* superiore anno post Concilium Aquile-
„ jense ad Religiosissimum Imperatorem Theo-
„ dosum *missas* &c. “, non defectum aucto-
ritatis in convocante, sed temporis angustias
duntaxat allegantes pro excusatione, quod
vocati Romam non venerint.

(a) *Synodica apud Theodoretum lib. 5.*
Hist. Eccl. cap. 9. apud Labbé tom. II. pag. 960.

§. LVI.

Sed ipse necessario non convocat.

Primas Ecclesiæ tamen necessario non convocat. Nam jura Primatus sunt ad necessitatem Ecclesiæ. Igitur si necesitas exigit Concilium, pertinet ad Primatem, qui ad subveniendum necessitatibus jura Primatus retinet, ut subveniat necessitati, & convocet, vel provocari curet Concilium. Hinc dixi, jus provocandi Concilia esse penes Primatem. Sed cum Ecclesiæ necesitas exigit Concilium, si aliorum sollicitudo præveniat officium Primitatis, desinit Ecclesia indigere Primitatis auctoritate, Primas onere sublevatur, & legitimum manet Concilium. Unde dixi, Primatem necessario non convocare. Est enim finis Primatus unitas. Jura igitur Primatus exigunt debent ad necessitatem servandæ unitatis Ecclesiæ. Sed servatur unitas, si omnis motus Ecclesiæ vel oriatur a Primate, vel redeat ad Primatem, tanquam centrum (a). Igitur est

est legitimū Concilium, quod convocavit Primas, vel ad quod, tanquam caput cum membris, vocatus est ad conveniendum.

(a) *Vid. supra §. XIX.*

§. LVII.

Quod confirmat praxis Ecclesiæ.

Quod affirmavimus, confirmatur praxi Ecclesiæ. Nam recolligas, velim, quæ supra (a) diximus. Concilia Hierosolymitana Apostolorum certo habentur legitima, licet certo non constet, fuisse convocata per Petrum. Sed nec per Petri Successores fuerunt convocata prima Concilia Generalia, uti deducendo probabimus.

(a) §. LIV.

§. LVIII.

Silvestrum convocasse Nicænum I. non probatur i. ex Rufino.

Concilium Nicænum I. ex prævia sententia, & auctoritate Silvestri Papæ fuisse convocatum, nullo firmo argumento probari potest. Scribit (a) quidem Rufinus, Constantinum “ex Sacerdotum sententia apud urbem „ Nicæam Episcopale Concilium “ convocasse. Ergo inferes ex sententia Silvestri Summi Sacerdotis? Sed fateor, me non videre connexionem hujus conclusionis. Et quare non

po-

potius, ut scribit (b) Epiphanius, “Alexan-
” dri sanctissimi Alexandriæ Episcopi studio,
” & hortatu, “ & ut addit (c) Joannes Lau-
nojus, adlaborante Osio Cordubæ Episcopo,
cujus legatio, & opera a Constantino sopiaendæ
hæresi in suo fonte adhibita in cassum cecide-
rat? Alexandrum, & Osium ante Synodum
Nicænam contra Arium adlaborasse, legimus;
Silvestrum adlaborasse, non legimus. Vero-
similius igitur sub verbis obscuris: *Ex Sacer-
dotum sententia*, veniunt Alexander, & Osius,
& alii, qui frustra laborarunt, quam Silvester,
quem necdum se causæ ingessisse, legimus.

(a) *Lib. I. Hist. Eccl. cap. 1.* (b) *Hæ-
ref. 68.* (c) *Epist. ad Ludovicum Habertum
Mommorium.*

* *Natalis Alex. Diff. XI. art. 1. in Hist.
Eccl. Secul. IV.* miratur quod Launojus S. Epiphanium faciat Rufini Interpretem, qui in rebus ad Nicæni Concilii Historiam pertinentibus ita aberravit a vero, ut Arium in Synodo Nicæna post mortem suam damnatum scribat, qui decem adhuc annis post Synodum illam vixit. Deinde ait esse ineptum, colligere Nicænum Concilium non fuisse convocatum ex sententia Silvestri, idque non significari Rufini verbis: *Ex sententia Sacerdotum*, quia studio, & hortatu Alexandri Episcopi convocatum est; quasi vero Alexander non potuerit hortari, & rogare Imperatorem, ut auctoritatem suam ad convocabandum Concilium interponeret, & Constantinus subinde rogare Silvestri sententiam, ut illud convocari annueret.

Verum concedamus, Epiphanium errasse in circumstantia mortis Arii; sunt tamen verisimilia, quæ scribit de illius Synodi convocatione. Miserat Constantinus Osium Cordubæ Episcopum Alexandriam, ut dissidia Arium inter & Alexandrum componeret, ut referunt Eusebius lib. 2. de vita Constantini cap. 62. Socrates lib. 1. Hist. Eccl. cap. 3. Theodoreetus lib. 1. Hist. Eccl. cap. 7. Sozomenus lib. 1. Hist. Eccl. cap. 15. eamque Legationem Osium obivisse absque Silvestri auctoritate, probat laud. Natalis Alex. Ibid. Diss. X. præc. Quid verosimilius, quam quod non obtento fine suæ legationis & Osius Legatus & Alexander illius Ecclesiæ Episcopus renunciantes sua Acta Constantino, ipsi suggererint consilium, & addiderint preces pro Generali Synodo celebranda? Non est igitur censendus errasse Epiphanius in eo, quod scribat studio, & hortatu Alexandri a Constantino Nicænum Concilium fuisse convocatum. Ad illud quod addit Natalis, dico, verba Epiphanii: studio, & hortatu Alexandri, non excludere Silvestrum, concedo, potuisse contigisse, ut ea Synodus studio, & hortatu Alexandri, & nonnisi ex Sacerdotum sententia, seu annuente Silvestro fuerit convocata; sed illud replico, non constare, Constantinum expetivisse consensum, & Silvestrum prævie disse illum; immo potius ex dictis conjecturis probabilius conjicimus contrarium, & contrarium infra §. LXXXI. probamus.

§. LIX.

Non 2. ex Synodo VI.

In Sermone Propheticō, seu Acclamatorio Synodi Generalis VI. (a) legimus:

“Ari-

„ Arius divisor , & partitor Trinitatis insur-
 „ gebat , & continuo Constantinus semper Au-
 „ gustus , & Silvester laudabilis , magnam at-
 „ que insignem in Nicæa Synodum congre-
 „ gabant . “ Sed non male videtur observasse
 Launojus , ea verba non esse Synodi VI. , sed
 illius , qui relatis verbis acclamavit Constan-
 tino Imperatori anno post Nicænam Synodum
 355. , cui quanta fides sit abhibenda in refe-
 rendo facto adeo a se distante , & cujus nemo
 ante ipsum meminerit , viderit , qui vel levi-
 tinctura artis criticæ tinctus fit .

(a) Act. XVIII.

* Natalis Alex. cit. Diff. XI. satis esse,
 ait , a Synodo probata illa verba , quod Accla-
 matorem illum sine reprehensione sustinuerit ,
 nec fuisse necesse , ut Patres sigillatim pronun-
 ciant de ea re , quæ ad fidei dogmata , & ad
 morum disciplinam non spectat , sed ad histo-
 riæ , & factum singulare . Sed inverto arma ,
 & dico , ideo recte dissimulasse illam acclama-
 tionem , quod viderent , eam pertinere ad fa-
 ctum historicum , & non ad fidei dogma , vel
 morum disciplinam , maxime cum aliquem ve-
 rum sensum recipient illa verba , seu perten-
 sum , seu istum : “ Constantinus semper Augu-
 „ stus indicendo , & Silvester laudabilis indi-
 „ cioni consentiendo , obediendo , & legatos
 „ mittendo , magnam , atque insignem in Ni-
 „ cæa Synodum congregabant . “ Ex verbis
 igitur dictis probari nequit , Patres Synodi VI.
 in ea fuisse sententia , quod Constantinus ex
 prævia delegatione , & mandato Silvestri Sy-
 nodum Nicænam convocaverit . Demum si ver-



ba Acclamatoris Synodus VI. expresso judicio probasset, non continerent irrefragabile argumentum; cum Synodus Generalis in definiendis factis non revelatis non sit infallibilis.

§. LX.

Damasum convocasse CP. I. non probatur;
1. ex Synodica illius Concilii.

Concilium CP. I. fuisse convocatum, iubente Damaso Papa, non probatur ex *Synodica* (a) *ad eundem*. Nam præviam auctoritatem convocandi non dedit sub finem anni 380., nec sub initium sequentis 381., quo illi Patres bis convenerunt, quorum *Secundus Conventus* habetur pro Concilio Oecumenico CP. I. Eodem enim tempore, quo Patres Constantinopoli secundo convenerunt, Episcopi Italiæ convenerunt Aquilejæ, unde datis literis ad Theodosium Imp. petebant, ut ad sopendas discordias, & præsertim ad extinguendum Schisma Antiochenum cogeretur Generale Concilium Alexandriæ. Illæ Damasi, & Petrum Aquilejenium literæ exhibitæ sunt Patribus Constantinopolitanis, & lectæ in illo secundo Conventu, ad quas responderunt, sibi integrum non esse longius proficiisci, miseruntque tres Deputatos, qui & de recta fide, & doctrina sua Occidentales redderent certiores, & suam ad pacem & concordiam propensionem exponerent. Sed his non contenti Occidentales datis iterum literis ad Theodosium Imp.

Imp. sunt conquesti contra Orientales, quod detrectarent Concilium Generale, ut ipsi soli Constantinopoli Concilium celebrarent, & institerunt, ut Concilium Romæ celebraretur. Dum hæ Damasi, & Occidentalium literæ secundæ redderentur Imperatori, ille Secundus Conventus Constantinopoli jam fuit celebratus, sed Patres nondum discesserant Constantinopoli; unde Theodosius intelligens dissidia inter Episcopos per renunciationem Gregorii Nazianzeni, & ordinationem Nectarii nondum esse extincta, rursus jussit congregari Episcopos, qui tertio convenientes anno 382. legerunt literas Damasi, & Occidentalium ad Imperatorem, & responderunt ad ipsum queras laud. *Synodica ad Damasum & Occidentales.* Ex hac autem facti specie manifesto apparet *Secundum Conventum* qui habetur pro Synodo Generali ex jussione Damasi non fuisse celebratum. (b.)

(a) Cit. *supra.* §. LV. (b) Vid. Zegerum Bernardum van Espen *Diss. in Synodum CP.* 1.

* *Ibid. §. LV.* laudavimus illius Synodicæ verba: “Convenramus Constantinopoli, ad literas a Reverentia vestra superiore anno post Concilium Aquilejense ad - - - Theodosium missas &c. “post Concilium Aquilejense inquiunt missas; igitur etiam post Conventum secundum, qui habetur pro Synodo Generali, quique eodem tempore, quo Synodus Occidentalium Aquilejæ celebrabatur anno 381 Convenramus Constantinopoli ad literas &c. inqui-

unt, ergo non Romæ, quo illos vocabat Damasus cum Occidentalibus: ergo non ex iussione, sed potius occasione literarum tertio etiam convenerunt Constantinopoli.

§. LXI.

Non 2. argumentis Baronii, & Binii.

Quod auctoritate Damasi fuerit convocatum Concilium CP. I., Baronius, & Binius probant; 1. auctoritate Synodi Generalis VI., quæ *Action. XVIII.* “Macedonius, inquit, „Spiritus negabat Deitatem, eumque conservum prædicabat; sed Maximus Theodosius Imp., & Damasus fidei adamas obstiterunt:” 2. auctoritate Codicum antiquissimi Vaticanæ Bibliothecæ, & alterius sanctæ Mariæ Majoris, ubi hæc leguntur: “Sententiam de damnatione Macedonii, & Eunomii Damasus confirmari præcepit, etiam in sancta secunda Synodo, quæ præcepto, & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est:” 3. auctoritate Nili Rhodiorum Metropolitæ, qui in *Synoptica Enarratione Conciliorum Generalium*: “Præerant, ait, Synodo Damasus Romæ, Nectarius Constantinopolis &c. “ Sed hæc levia sunt.

* Assentior 1. Synodo VI., Damasum obstitisse Macedonio, non quod jussit convocari Synodum CP. I., sed quod Macedonium in Concilio Romano damnaverit, & libellum ea de re Synodicum ad Paulinum Episcopum Antiochenum dederit. Non deferro 2. illis Codi-

Codicibus incertæ antiquitatis , & auctoritatis contra fidem certam historicam Actorum C. CP. 3. Sibi esse ejusdem ponderis Nili , ac nihil auctoritatem , quem infinites hallucinatum esse in Historia Conciliorum , adnotarunt viri Eruditi , ait Natalis Alex. Diff. XXXVI. in Hist. Eccl. Secul. IV. cujus Art. 1. demonstrat Concilium CP. 1. inconsulto Damaso fuisse convocatum.

§. LXII.

Cælestinum convocasse Ephesinum , non probat , i. Lopus.

Concilium Ephesinum fuisse convocatum a Cælestino Papa , probat Christianus Lopus inde ; 1. quod Gelasius Papa in sua Synodo Rom. I. dicat , Concilium Ephesinum de consensu Cælestini Papæ fuisse indictum : 2. quod Synodus in variis ad varios Relationibus assidue dicat , se convenisse secundum canones ; atqui canones Apostolici , & Divini non permittebant Synodum Generalem celebrare sine Pontificis auctoritate , & consensu : 3. Quod Hincmarus Episcopus Remensis universim (a) afferat , Generales Synodos “ Apostolicæ Se- , dis jussione , & Imperiali convocatione sem- , per olim fieri confvetas . ” Verum Gelasius I. afferit duntaxat , “ damnatum Nestorium , consensu Beatissimi Cælestini , mediante , Cyrillo Alexandrinæ Sedis Antistite . ” Sunt autem disparata *damnare* , & *indicere* . Quod Hincmarus afferit , illud quæritur , & ego

nego. Ad secundum infra (b) habes solutionem.

(a) *Epist. 33. cap. 20.* (b) §. *LXXXIII.*

§. LXIII.

Non 2. Bellarminus.

Idem probat Bellarminus inde; 1. quod Prosper (a) indicet, Synodus Ephefinam factam esse Cyrilli industria, & Cælestini auctoritate: 2. quod idem constet ex Evagrio (b): ex Epistola S. Cælestini ad Cyrrillum, quæ habetur inter opera Cyrilli: ex Photio (c) qui afferit, Cyrrillum, profectum esse ad Concilium, tanquam Sedis Apostolicæ Legatum, quod ait esse argumento, illud non fuisse convocatum absque Pontificia auctoritate. Verum Prosper ad annum 451. narrat quidem: “congregata apud Ephesum plus ducentorum Synodo Sacerdotum; Nestorium cum hæresi nominis sui” fuisse damnatum; sed non narrat, a quo fuerat convocata. Refert exordia Nestorianismi ad annum 428. & scribit: “Nestorii impietati novum errorem Ecclesiis inducere molientis præcipuam Cyrrilli Alexandrini Episcopi industriam, & Papæ Cælestini repugnasse auctoritatem;” sed hæresi repugnare non est indicere, vel jubere indici concilium. Repugnavit Cælestinus datis primum ad Nestorium literis, dein coacta Romæ Synodo, & lata in hæreticum senten-

sententia, nisi tempore condicto resipisceret, & demandata sententiæ executione Cyrillo Alexandrino, sed Synodum Ephesinam non convocavit. Illius delegationis meminit Cælestinus in *Epist. ad Cyri lum*, quam laudat Bellarminus, nec in ea agit de convocanda Synodo. Evagrius similiter loco, quem laudat Bellarminus, non agit de Synodi convocatione. Denique ex iis, quæ scribit Photius, sequitur duntaxat Cælestimum concurrisse ad Synodum convocatam, cujuscunque demum fuerit convocata auctoritate.

(a) *In Chronico.* (b) *Lib. I. Hist. cap. 4.* (c)
Lib. de 7. Synodis.

§. LXIV.

Non 3. Diurnum Romanum.

Diurnum Romanum in Allocutione Romani Pontificis ad Episcopos, Presbyteros, & universam plebem Dei, præmissa mentione primorum Conciliorum Generalium, addit:
 „ Quibus duobus universalibus, venerandis
 „ que Conciliis, tertium Generale ducento-
 „ rum Sanctorum Patrum accessit Concilium,
 „ quod sub principalis quidem memoriae Theo-
 „ dosio Augusto factum est, ex auctoritate
 „ tamen Cælestini Apostolicæ Sedis Antifititis
 „ cum B. Cyrillo Alexandrinæ Ecclesiæ Præ-
 „ sole. “ Verum non repugno, Concilium E-
 phesinum fuisse factum auctoritate Cælestini,



qui præfuit per suos Legatos ; sed id non significat presse fuisse etiam convocatum auctoritate ejusdem. Ceterum illa Allocutio Diurni Romani composita est post annos 200. circiter ab Ephesina Synodo , adeoque non meretur ejus fides præferri iis , quæ infra (a) allegamus , coævis testimoniis.

(a) §. LXXXIII.

* Natalis Alex. *Diss. VII. Quæst. I. in Hist. Eccl. Secul. V.* demonstrat . Synodum Ephesinam non fuisse convocatam a Cælestino I.

§. LXV.

Leo non convocavit Chalcedonense.

Concilium Chalcedonense fuisse convocatum mandato Leonis Papæ , affirmarunt Episcopi Secundæ Mæsiæ (a) : “ In Chalcedonensium Civitate multi Episcopi convene- runt per iussionem Leonis Romani Pontificis , qui vere caput est Episcoporum . ” Gelasius item (b) : “ Apostolica Sedes pro veritate , ut Synodus Chalcedonensis fieret , sola decrevit . ” Sed Acta illius Concilii cogunt nos has locutiones accipere sensu minus rigoroso ; petierat quidem Leo *Epist. ad Theodore.* (c) : “ Unde si Pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere , ut infra Italiam haberi jubeatis Episcopale Concilium , cito auxiliante Deo poterunt omnia

scan-

„scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, refecari.“ Hac non *jussione*, aut *mandato*, sed suggestione, & supplicatione effecit Pontifex, quod Synodus Ephesi fuerit habita, quæ abiit in latrocinium, cui ut remedium obtineret, observa quam imperiose egerit suo, & Synodi Romanæ nomine (d): “ Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes Mansuetudini vestræ cum gemitibus, & lacrymis supplicant Sacerdotes, ut Generalem Synodus jubeatis intra Italiam celebrari. „ Sed gemitus, & lacrymæ Occidentalium non emoliverunt obduratum Theodosii animum; moverant Marcianum Augustum, cujus vix assumpti ad Imperium prima cura fuit illius Synodi convocatio, ita ut eodem exemplo & suam assumptionem ad Imperium & Synodi convocationem Leoni (e) significaverit. Sedes itaque Apostolica decrevit, ut dixit Gelasius, quia Synodus necessariam judicavit; Leonis *jussione*, ut ajunt Mæsiæ Episcopi, convenerunt Chalcedonenses, quia ut scribit Ado in *Chronico*, “ Leo nis Papæ *industria* celebratum est Chalcedonense Concilium, “ vel ut scribit, Sigebertus, quia, convocatum est, “ *instantia* Leonis Papæ, Jubente Marciano Imperatore.“

(a) *Epist. ad Leonem Imper.* (b) *Epist. ad Episcopos Dardaniae.* (c) 23. (d) *Epist. ad Theodos. 40.* (e) *Epist. post Leoninam 57.*



§. LXVI.

Non Vigilius CP. II.

Concilii CP. II. convocationi consenserat quidem Vigilius Papa, ut constat ex ipsius *Epist. ad Eutychium Patriarcham CP., & Episcopos sub illo constitutos*: “Vestrum deſiderium cognoscentes annuimus, ut de Tribus Capitulis, ex quibus quæſtio nata est, facto singulari Conventu, servata æquitate, mediis sacrosanctis Evangelii, collationem cum unitis Fratribus habeamus, & finis detur placitis Deo, & conveniens his, quæ a Sanctis quatuor sunt definita Conciliis.” Eam Epistolam scripsit Vigilius quatuor mensibus ante Synodum. Verum quia Vigilius annuerat ea lege, ut exæquato Latinorum Episcoporum numero Græcis Antistitibus illa Synodus haberetur, ut ipſe testatur in *Conſtituto*, & Justinianus Iimp. moræ impatiens contra ea pacta conventa voluerit ſtatim Synodum, ſuum conſenſum subtraxit Vigilius, ac degens tunc Constantinopoli nec per ſe, nec per ſuos Legatos voluit adeffe Synodo.

§. LXVII.

Non Agatho CP. III.

Concilii CP. III. celebrandi conſilium concepit primum Flavius Constantinus Iimp., &

& ad concurrendum movit Agathonem, ut intelligimus ex ipsius (a) *Sacra ad Donum*, quæ, interea mortuo Dono, reddita fuit ejus successori Agathoni: “ Adhortamur vestram „ paternam Beatitudinem per præsentem no- „ stram piam Sacram dirigere viros --- indu- „ fos personam vestræ Apostolicæ Sedis - - - „ & omnem auctoritatem habentes, quatenus „ convenientes cum hic posito --- Patriarcha, „ & Macario --- Patriarcha Theopolitanæ Ci- „ vitatis perscrutentur &c. “ Item ex ejusdem
 (b) *Sacra ad Georgium Patriar. CP.* “ Jam „ enim super hoc adhortati sumus per pios „ nostros apices adhuc inter vivos existentem „ & Donum - - - & illo de hoc seculo migran- „ te, Agatho sanctus nuper ordinatus - - - hu- „ jusmodi nostros suscipiens apices, destina- „ vit in præsenti propriam ejus indutos per- „ sonam.”

(a) *Apud Labbē tom. VI. pag. 594.* (b)
Ibid. pag. 599.

§. LXVIII.

Non Hadrianus I. Nicænum II.

Similiter ex *Divali Sacra Constantini*, & Irene (a) ad Hadrianum Papam: “ Et roga- „ mus vestram paternam Beatitudinem - - - „ ut det seipsum, & nullam tarditatem fa- „ ciat - - - si enim non potuerit ascendere „ huc - - - eligat viros --- ut inveniantur ex

„ persona sacræ & paternæ vestræ Beatitudi-
 „ nis hic ; “ colligimus Nicæni II. Concilii
 promotorem non fuisse Hadrianum I., ut quid
 enim rogaretur accedere , si ipsius mandato,
 & convocatione congregabatur ? Sed ipse Ha-
 drianus expresse Concilii illius promotorem
 laudat Tharasium Patriarcham CP. Epist. ad
 eundem : “ Porro post confessionem fidei ve-
 „ stræ notum factum est nobis , quod vestræ
 „ venerabilis Sanctitas postulaverit ab Ortho-
 „ doxis , ac Zelatoribus , & propugnatoribus
 „ veritatis , piissimis videlicet Imperatoribus
 „ nostris , quod fieret Universalis Synodus ,
 „ & repromiserint coram omni populo Christia-
 „ no Supplicationi vestræ pie annuentes , Syno-
 „ dumque in Regia Urbe fieri definientes . Nos
 „ autem , quemadmodum & in ipsa Diva con-
 „ tinebatur iussione , dilectos nobis & appro-
 „ batos atque prudentes Sacerdotes , pro sta-
 „ tu sacrarum imaginum , ut prisco illis parti-
 „ bus ordine constituantur , cum magno de-
 „ siderio , & maximo gaudio destinavimus . “
 Quibus prodit satis Pontifex , sibi novam ac-
 cidiisse illius Concilii convocationem , se in-
 scio , vel plane non cogitante , fuisse assump-
 tam & perfectam . Quod magis elucescit ex
 Tharasii Epistola ad Hadrianum , qua signifi-
 cat Pontifici , tunc primum non fuisse suscep-
 tum consilium Synodi celebrandæ ; nam “ per
 „ nutum , ait , & zelum divinum fidelissimo-
 rum , & piorum Imperatorum Sessio Syno-
 „ di

„ di facta est. Sed quidam ex infensatis sen-
 „ fibus moti, turbationemque intra se facien-
 „ tes, exurgere nos fecerunt e confessu: &
 „ prohibiti, uno anno taciti mansimus. At vero
 „ anno transacto, rursus Deo amabiles Epis-
 „ copi congregari in Nicænium clara Metro-
 „ poli Bithynensium provinciæ a piis Impe-
 „ ratoribus nostris jussi sunt. “


(a) *Apud Labbē tom. VII. pag. 31. 32.*

* Ex his, & aliis hactenus dictis manife-
 sto apparet, quam temere afferat Severinus Bi-
 nius apud Labbē in *notis ad Concilium Nicænum*
 II. lit. a. verbo: *Concilium*: “Hæc sacrosancta
 „ Synodus, prout in reliquis anterioribus
 „ Conciliis Universalibus observatum est, ro-
 „ gatu, auxilio, & opera Imperatorum, jussu
 „ autem, & auctoritate Hadriani Pontificis in-
 „ dicta, & celebrata fuit. ,”

§. LXIX.

Non Hadrianus II. CP. IV.

Concilium CP. IV. convocatum est a Ba-
 filio Augusto, jubente Hadriano II., qui scri-
 bebat *Epiſt. ad eundem Basiliū relat. Act. 1.*
 „ Volumus autem per vestræ Pietatis indu-
 „ striam Constantinopoli numerosum Concilium
 „ celebrari, “ stylo scilicet longe alio, quam
 quo usus erat Leo ad Theodosium (a). Sed
 Synodus illa celeb̄rata fuit anno 869., quo
 Pontifices aucti temporalibus Dominiis Tri-
 regno jam eminebant, & quo spuriis merci-
 bus



bus Isidori Mercatoris Sacra cœperat inverti disciplina ; attamen jubendo Hadrianus testatus est , illam convocationis solennitatem antecedenter fuisse exercitam ab Imperatoribus , & non a suis Prædecessoribus , unde præter stylum novum non est ausus aggredi novum etiam convocationis factum.

(a) *Supra* §. LXV.

§. LXX.

Non obstat Decretum Leonis X.

Leo Papa X. in Concilio Lateranensi V. decrevit *Sacro approbante Concilio*, “ *Solum Romanum Pontificem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum SS. Patrum, & aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed ex propria etiam eorundem Conciliorum confessione &c.* ” Non inferior, Leonem X. sicut aliorum, sic indicendorum Conciliorum auctoritatem exclusive voluisse sibi afferere ; ast id tunc solum jure fecisset, quando tam facile allegare , quam appellare decta Conciliorum, Pontificum, & SS. Patrum potuisset. Illius Concilii Acta nunquam receperunt Galli (a).

(a)

(a) Vid. Joann, Doviat *Prænot. canonic.*
lib. 2. cap. 7. §. 10. Joann. Opſtraet de locis
Theol. Diſſ. IV. quæſt. IV. num. 20.

§. LXXI.

Non Epift. VIII. Pelagii II.

Pelagius II. *Epift. ad Episcopos Constantinopolis congregatos* scripsit : “ Relatum est,
 „ Joannem Constantinopolitanum Episcopum
 „ Universalem se scribere, vosque *ex hac sua*
 „ *præſumptione* ad Synodum convocare Gene-
 „ ralem : cum Generalium Synodorum con-
 „ vocandorum auctoritas Apostolicæ Sedi B.
 „ Petri fit tradita. “ Ex quibus verbis Pon-
 tificii concludunt, Papam exclusive habere
 auctoritatem convocandorum Conciliorum.
 Verum Pelagius non tam factum, quam facti
 consilium reprehendit, ut appareat ex verbis
 cit. Convocaverat enim Joannes Concilium
 Generale, non ut Ecclesiæ necessitati serviret,
 sed ut sensim convocando Concilia occuparet
 jura Primatus, ad quem pertinere convocare
 Concilia, supra (a) afferuimus, & spoliaret
 Romanos Episcopos, quibus jus Primatus
 quæſitum est. Non aliam fuisse mentem Pe-
 lagii II. colligimus etiam ex facto Hadriani
 I., qui (b) laudavit Tharasium post Joannem
 ejusdem Sedis Episcopum, quod auctor fuerit
 Constantino, & Irene convocandæ Synodi
 Nicænæ II., laudavit vero, quod ex alio
 consilio egerit, videlicet non ut propriæ ser-
 viret



viret ambitioni, sed ut Ecclesiæ necessitati
præstaret officium.

(a) §. LV. (b) *Supra* §. LXVIII.

§. LXXII.

Non querela Lucentii Legati.

Pro jure exclusivo Pontificii allegant
passim Lucentii Legati Romani querelam, &
protestationem contra Dioscorum initio Conci-
lli Chalcedonensis, qua instabat: “Judicii sui
„ ipsum necesse est reddere rationem, quia
„ cum nec personam judicandi haberet, sub-
„ repfit, & Synodus ausus est facere fine
„ auctoritate Apostolicæ Sedis: quod rite
„ nunquam factum est, nec fieri licuit. “ Sed
manifestius est, quam ut iterum cogamur pro-
bare, Lucentium non agere de Concilii con-
vocatione; utique non ignorabat, illud Con-
cilium Chalcedonense, in quo existebat Lega-
tus, fuisse convocatum a Marciano Imp., &
aliud Ephesinum latrocinale, de quo loque-
batur, fuisse convocatum a Theodosio Imp.,
adeoque ex causa convocationis non poterat
agere contra Dioscorum. Lucentius itaque lo-
quebatur de celebratione Concilii Ephesini II.,
& conquerebatur, Dioscorum voluisse celebra-
re Concilium Generale, quale fuit convoca-
tione Ephesinum II., absque auctoritate Sedis
Apostolicæ; ausus enim fuit, excludere Le-
gatos Romanos, quod in capto consilio eos

ibi


fibi repugnaturos timeret; quod, nos quoque affirmamus, “rite nunquem factum est, nec „ fieri licuit, “ nam non habetur Concilium Generale, nisi caput cum membris conveniat.

* Concilium Ephesinum 11. fuisse convocatum a Theodosio Juniore, testis est Leo Epist. ad Theodos. Aug. 26. Epist. ad Ephes. II. Synodus 29. Epist. ad Julianum Episc. Coensem 31. Epist. ad Flavianum 32. Vid. supra §. LXV.

§. LXXIII.

Non Canones.

Sacri Canones attribuunt auctoritatem convocandi Concilia Sedi Apostolicæ, ut habent Capitularia Regum Francorum (a): “ Legitima Synodo suo tempore Apostolica auctoritate convocata, cuius iussione Domini, & meritis B. Petri Apostoli, singularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & SS. Canonum, & venerandorum Patrum Decretis multipliciter privata tradita est potestas. “ Et Gratianus in *Decreto Distinctioni XVII.* istum titulum præfixit: “ Auctoritas vero congregandorum Conciliorum penes Apostolicam Sedem est; “ quapropter concicimus eam doctrinam ævo Gratiani fuisse communem, & ab omnibus receptam. Verum hæc spectant ad posteriorem disciplinam. Separato Orientis Imperio ab Occidentali, hocque posteriore insuper in plura Regna diviso, non erat amplius in unius Principis potestate omnes



omnes Christiani orbis Episcopos in unum locum congregare. Circa idem tempus inventæ sunt Decretales Isidorianæ, & per illas credi cœptum est, auctoritatem convocandorum Conciliorum *exclusive* esse penes Romanum Pontificem, ita ut tandem in *Dictatu vulgo Gregorii VII.* inter speciales prærogativas Romano Pontifici competentes hæc etiam his verbis exprimatur: “Quod nulla Synodus absque præcepto Summi Pontificis debet Generalis vocari.” Profecto Gratianus *Dist. XVII.* suam assertionem probat ex falsis Decretalibus Pseudo-Isidori *can. I.* ex suppositia Epistola Marcelli ad Maxentium tyrannum: *can. 2.* ex corrupta a Pseudo-Isidoro Epistola Julii contra Orientales. (b).

(a) *Lib. 4. Capitul. cap. 12.* (b) *De illarum Decretalium suppositione vide van Espe in Comment. in Gratian. Dist. XVII. Doviat Prænot. Canonic. lib. 2. cap. 27. num. 12.*

§. LXXIV.

Non doctrina SS. Raymundi, Thomæ.

Scribit S. Raymundus de Pennafort (a): “*Solus Papa potest Generale Concilium convocare;*” & S. Thomas Aquinas (b): “Et ideo ad *solum* auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli; sicut & omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiā, ut *congregare Synodum Generalem*, & alia

„ alia hujusmodi. “ Verum sicuti diximus ad capitulare, & ad Gratianum, sic replica mus, Sanctos illos loqui juxta disciplinam illius temporis. Raymundus in Codice Decretalium Gregorii IX., quem compilavit, exhibuit auctoritatem Pontificis, non qualis re ipsa erat, sed cum incrementis, quæ seu beneficio Decretalium Isidori, seu abusu temporum Pontifices acceperunt. Aquinas *cit. loco* probat suum assertum illo argumento, quod majores, & difficiliores causæ pertineant ad auctoritatem Summi Pontificis, & id affir mat auctoritate Gratiani referendo se ad *Decreti Dist. XLIII.*, vel potius ut recte in margine adnotatur, ad *can. Omnis. oppressus.* 3. *Caus. II. qu. 6.*, ex suposititia Decreta i Anacleti Papæ, qua causæ Majores Pontificibus reservantur.

(a) *Lib. 3. tit. de different. Offic. num. 1.*

(b) *2. 2. qu. 1. art. 10.*

§. LXXV.

Non S. Antonini.

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus

(a) scribit: “ Nec Concilium Generale potest „ congregari sine auctoritate Romani Pontifi- „ cis: nec aliquid valet ordinatum in illis, „ nisi ordinetur a Papa, ut patet *Dist XVII.* „ c. 2. *per totum.* Omnia prædicta dixerunt, „ & crediderunt omnes SS. Doctores, & Pon-




„ tifices tam Græci, quam Latini, & Con-
 „ cilia Universalia, quæ celebrata sunt tam in
 „ Oriente, & Occidente, quæ fuerunt legi-
 „ tima concilia, non Conciliabula, & Syna-
 „ gogæ Satanæ. “ Ex eodem principio, sicut
 alii, sic etiam Antoninus rejicit (b) Concilium
Pisanum : “ Per Pisanum Concilium, ait, vel
 „ Conciliabulum, cum non esset alicujus eo-
 rum, qui se gerebant pro Pontifice, au-
 „ ñoritate congregatum &c. “ Sed Florenti-
 nus Præfus deceptus est *can. 2. Dist. XVII.*,
 ad quem refert se, quique est ex corrupta
 Julii Epistola. Ceterum accedant, quæ pro
 Conciliis illius œcumenicitate Pisæ dixit Ger-
 sonius in *Sermone coram Alexandro Papa in*
 die Ascensionis Domini: “ Non vocavit Pa-
 „ pa, fuit Conventiculum. O ridenda, &
 „ irrationabilis omnium ratio! Neque vero ad
 „ quatuor illa Concilia, quæ in Actis Apo-
 stolicis describuntur, Petrus vocasse me-
 moratur. Neque Synodus Nicæna jussu
 „ Silvestri, sed Constantini convenisse legitur.
 „ Ad quintum Universale Patrum Concilium
 „ contra Theodorum Nestorii discipulum,
 „ nemine convocante sese Patres exhortati
 sunt. Fuere ergo Conventicula? Cave di-
 „ xeris. Coluntur tanquam Evangelica. “

(a) 3. Part. Chronic. Tit. 2. cap. 3. §. I. (b)
Ibid. tit. 22. §. II.

* Observa, eo etiam tempore non ita fuisse
 creditum, pertinere exclusive auctoritatem con-
 vocan-

vocandi Concilia ad Summum Pontificem, ut, non posse aliter subinde convocari, non crederent. In dicto Concilio Pisano *Sess. IV.* Episcopus electus Verdensis a Roberto Bavariae Duce in Romanorum Regem electo missus inter *Questiones XXIV.*, quæ leguntur cum Respon- sionibus in Actis Concilii Pisani ex Codice Gem- meticensi primum editæ tom. VI. *Spicilegii*, & apud Labbé, seu inter difficultates contra ea, quæ in Gregorium XII. a Cardinalibus gesta sunt, etiam illam posuit quod Concilium Pisa- num non fuerit a Papa convocatum. Respon- dit *Sess. VII.* Petrus de Ancharano Doctor Bononiensis, ubi Concilium est convocandum in causa fidei, & schismatis, quæ aliter finiri non potest; & Papa unicus illud congregare non vult, negligit, aut non potest, quia forte furiosus vel alia ratione, non esse dubium quin Cardinales hoc possint. Addit hanc notabilem rationem: “*Nec est de substantia Concilii, quod convocans habeat auctoritatem super Con-* cilium: *sicut Archiepiscopus vocat Conciliū, quod tamen ipso superius est, quia de eo appellatur ad Concilium. can. Multis.*” *Dist. XVII.* “*Sic duæ partes Capituli vocant Capitulum, & tamen Capitulum est superius.* Ita de Ancharano. Patres Concilii Constan- tienis *Sess. XXXIX.* celebri Decreto: *Frequens, decreverunt celebranda Concilia, primum a fi-* ne illius Concilii in *quinquennium immedie-* sequens, secundum vero a fine illius immediate sequentis Concilii in *septennium*, & *deinceps* de decennio in decennium *perpetuo*, in vim cuius Decreti habitum est Concilium Senense sub Martino V. post *quinquennium*; & inde post *septennium* Basileense sub Eugenio IV., quem inter & Concilium ortæ divisiones, & Pontifici non honorificæ, & Concilio graves,



recenti Constantiensis Decreti disciplinæ, finem imposuerunt. Jam hodie excusis imposturis I-sidorianis, evanuit prorsus hoc Pontificis Reservatum.



C A P U T IV.

DE CIVITATIS JURE CONVOCANDI CONCILIA.

§. LXXVI.

Principes convocant Concilia jure Summi Imperii.

Principes jure Summi Imperii, & Regimini Civilis student procurandæ paci, ac tranquillitati suæ Civitatis (a). Sed pax publica Civitatis propter intimum nexum cum Ecclesia (b) non est firma, nec diu salva perseverat, si disfidiis Ecclesia ferveat. Quemadmodum igitur Principes jure Summi Imperii recte aggrediuntur, quæ sunt ad conservandam, & restituendam pacem Civitatis; sic eodem jure curant, ut disfida Ecclesiæ tollantur mediis idoneis; sunt vero disfidiis tollendiis remedium opportunum Concilia; „ Compluries enim, inquit (c) Constantinus „ Pogonatus, Ecclesia impressionibus hære- „ seon periculoſe ægrotavit: at non aliter, or-

tho-

,, theodoxiæ accepit medicinam, quam piorum
 „ & Christi amantium Imperatorum adhorta-
 „ tione, *Sacerdotum* vero a Deo institutorum
 „ confessionibus, ac *Cœtibus.*“ Igitur jure
 Summi Imperii recte cogunt Concilia.

(a) *Supra* §. XXXIX. (b) *Supra* §. XL. XLI.

(c) *In sua Diva ad Leonem Papam missa per Legatos Romanos apud Labbē tom VI. pag. 100.*

§. LXXVII.

*Eodem jure gerunt curam quorumvis Con-
 ventuum.*

Est semper visum, pertinere ad jura
 Summi Imperii Civilis providere, ne in Civi-
 tate fierent quæcumque Collegia, & Conven-
 tus absque Principis præscitu, & venia, novi
 præsertim, & tumultuosi. Est creditum sem-
 per, nullam esse magis capitalem Reipublicæ
 pestem frequentibus, inordinatis, & pro libi-
 tu celebratis cœtibus, quod ex iis conjuratio-
 nes in Rempublicam, seditiones, aliaque in-
 fanda incommoda procederent, vel timeren-
 tur, quamobrem summo jure stricte prohiben-
 tur sub poena vis publicæ *L.* 1. 2. & 3. ff. de
Collegiis, & Corp. & L. Conventicula 15. Cod.
de Epis. & Cler.



§. LXXVIII.

Non eximuntur Concilia Ecclesiæ.

Adjuvantur vincula, & adminicula Civitatis per Ecclesiam, nec habet, quod a puris Ecclesiæ principiis, sibi timeat Civitas; quia tamen, ut ait (a) Constantinus Pogonatus Imperator, “in Republica Christus Deus noster, tanquam propriam domum, suam construxit Ecclesiam,“ neque diminuit (b) Imperii jura; evidens est, Concilia, & Conventus Ecclesiæ, qui nec sine motu congregantur, nec sine strepitu celebrantur, voluisse subjici Legibus Civitatis; unde non solum Principes jure Summi Imperii cogunt Concilia, quando postulat ratio Reipublicæ; sed eodem jure habent arbitrium concedendi, vel impediendi, dum suo motu Sacerdotes confluunt in eadem.

(a) *In Edicto Confirmatorio Concilii CP. III. post Act. XVIII. apud Labbé tom. VI. pag. 1084.* (b) *Supra §. XXXVI. XXXVII.*

* Inquies: pugnantia scribis. Nam *supra* §. LIII. dixisti, Ecclesiam habere jus convenientiendi in Conciliis; hic vero Principibus attribuis arbitrium legitimandi, admittendi, vel prohibendi Concilia. Verum hæc non amplius repugnant, quam repugnet Ecclesiam connecti & Civitatem: eosdem esse Sacerdotes, Christianos, quos Cives. Habet Ecclesia jus convenientiendi; sed etiam Princeps habet jus cognoscendi de motibus, qui fiunt in sua Civitate, neque illi per hoc, quod fiant ex causa spirituali,

tuali, magis subtrahuntur ipsius jurisdictioni, quam licet fiant ex causa spirituali, iidem non cessent esse spectabiles, & non cessent commovere Civitatem; unde sicut ad alios motus, conventusque Princeps tenetur attendere; sic tenetur attendere ad motus, & Concilia Ecclesiæ. Fateor, longe abesse doctrinam Ecclesiæ, & ea in abstracto, quæ circa eam haberi possunt, Concilia, ut afferant ullum præjudicium Civitati; attamen practice Civitati multiplex imminet periculum ab abusu auctoritatis, qui possibilis est, a Sacerdotum infirmitate, qua circumdantur, a Republicæ temporibus, quibus subinde non expediunt Concilia. Hujus iuris Civitatis tot sunt argumenta, quot extant Ecclesiæ instantiæ pro habendis Conciliis, quot pro iisdem habendis concessa sunt Indulta a Principibus, quot denique extant Patronum gratiarum actiones pro concessis Indultis. *Vid. infra §. XCIV.*

§. LXXIX.

Eadem convocant Principes jure Advocatiæ.

Principes Cristiani gaudent jure præsidii, & advocatiæ Ecclesiæ (a). Eodem igitur jure indicunt, & cogunt Concilia, quoties id exigit Ecclesiæ necessitas.

(a) *Supra §. XLV.*

§. LXXX.

Item jure Oeconomiae.

Sed motiva etiam Oeconomica, quorum curam gerunt Principes, obligant eosdem ad

interponendam sam auctoritatem convocandis Conciliis. A pace Ecclesiæ reddita cepit incrementa externa Ministereium Ecclesiæ; unde ad decore conveniendum, & convenientes ad cum splendore subsistendum Sacerdotes indiguerunt, & indigent non contemnendis sumptibus; quare Augusta Imperatorum munificentia ab initio huic necessitati subvenit; Sic Constantinus Augustus (a) Aelasio demandabat, proficiscentibus ad Concilium Arelatense I. dari subsidium: “Sed etiam aliquos, qui contra eundem Cœcilianum dissentunt, data electione publica, per Africam, & Mau ritaniam, inde ad Hispanias brevi tractu facias navigare. Et inde nihilominus his in singulis Episcopis singulas *Tractorias* tribuas, ut ipsi ad supra dictum locum intra diem Kalendarum Augustarum possint pervenire.” Hodie Principes gravantur sumptibus præsidii Conciliorum, si in ipsorum terris fiant, Legationum, quas ad eadem mittunt, subsidiorum, quæ indulgent Prælatis, patiuntur exportationem pecuniæ, si Concilia fiant extra Statum, quæ gravamina ipsis inferri, non est æquum, nisi præveniat ipsorum arbitrium, & consensus.

(a) In sua Sacra apud Labbé tom. I. pag. 1422.


* Jacobus Sirmondus in notis posthumis ad verba: Singulas *Tractorias* tribuas, apud Labbé tom. I. pag. 1565. observat: “*Tractoriae*, dice-

„ dicebantur diplomata, ceu Codicilli, qui-
 „ bus copia siebat usurandi cursus publici.
 „ Glossæ Juris: Tractaria, Fusso Præfecti, si-
 „ ve Combina, vel Systema de Cursalibus ani-
 „ malibus, Angarialis etiam dicitur in Episto-
 „ la Præfectorum ad Celsum Vicarium Africæ,
 „ de Donatistis, qui in Gallias Cæcilianum
 „ accusaturi venerant ad Constantinum: Anga-
 „ rialem his cum annonaria competentia usque
 „ ad Avelatensem portum secundum imperatum
 „ Clementissimi Principis dedimus. Ceterum
 „ ut ad Synodum postea Nicænam evocatis,
 „ concessam a Constantino evectionem publi-
 „ cam, auctores sunt Eusebius lib. 3. de ejus
 „ vita cop. 7. & Theodoreetus lib. 1. cap. 7.
 „ Constantini vero exemplum alii deinceps,
 „ qui Synodos coegerunt, Principes imitati-
 „ sunt.“

§. LXXXI.

His juribus innixi convocarunt Concilia;
Constantinus M. Nicænum I.

His juribus innixi Imperatores, non man-
 dato (a) Pontificum; sed propriis motu, con-
 filio, & auctoritate convocarunt prima octo
 Concilia Generalia. Nicænum I. convocavit
 Constantinus M. motu proprio, teste (b) Eu-
 sebio: “ Deinceps igitur Concilium Genera-
 „ le --- in unum locum coegit, & Episcopos
 „ undique per literas honorifice scriptas, ut
 „ eo maturarent, accivit.“ Accivit, coegit
 impulsus improspero successu Legationis Osii
 Alexandriæ, ut innuit (c) Theodoreetus, qui
 G 5 post



post relatam illam Legationem scribit: “Verum ubi spes eum fecellerat, celebre illud Nicænum Concilium cogit;“ confilio pacis restituendæ Ecclesiæ, & Imperio, ut colligimus ex Socrate (d): „*Cum igitur Imperator videret his duabus contentionis tempestatibus Ecclesiam vehementer jaclari, Generale Concilium convocat:*“ & ex Gelasio Cyziceno (e): “*Cum videret Imperator perturbatam Ecclesiam, Concilium Generale convocat.*“

(a) *Supra* §. LVII. & seqq. (b) *Lib. 3. de vita Constantini cap. 6.* (c) *Lib. 1. Hist. Eccl. cap. 7.* (d) *Lib. 1. Hist. Eccl. cap. 5.* (e) *Lib. 2. Actor. Conc. Nic. cap. 5.*

§. LXXXII.

Theodosius I. CP. I.

Concilium CP. I., inconsulto Damaso, congregavit Theodosius I. ex Episcopis Solius Orientis, teste (a) Theodoreto: “Theodosius Episcopos duntaxat Imperii sui Constantinopolim jussit convenire.“ Patres illius Concilii in sua Synodica (b) ad Theodosium confitentur, se ab ipso fuisse convocatos: “Quod ex quo tempore, *juxta literas tuæ Pietatis* Constantinopolim convenimus.“

(a) *Lib. 5. Hist. Eccl. cap. 7.* (b) *Apud Labé tom. II. pag. 945.*

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

Theodosius II. & Valentinianus III. Ephesi-
num.


Concilium Ephestinum ex consilio restituendæ pacis publicæ convocarunt Theodosius II. & Valentinianus III. Imp. ut appareat ex ipsorum Sacra (a) data Cyrillo Alex. & Episcopis Metropolitanis, in qua notanter: “ Nunc vero,
„ ajunt, tam Ecclesiasticarum, quam quæ hisce
„ cohærent, publicarum rerum controversia eam
„ (Synodum) usque adeo necessariam declarat,
„ ut omitti nullo modo queat. Quamobrem ne
„ illa, quæ ad præsentem rerum tantopere
„ utilium inquisitionem spectant, si negligenter
„ tuis currentur; in pejus incrementa sumant
„ (id quod a temporum nostrorum pietate
„ alienum est) tua pietas - - - operam dabit,
„ ut - - - ad Ephesiorum Asiæ Civitatem ac-
„ currat. ”

(a) Part. I. Conc. cap. 32. apud Labbē tom.
III. pag. 436. Observa, Epistolas hujusmodi
vocari Generales, quia uno exemplo pau-
cis mutatis ad diversos muttebantur.

§. LXXXIV.

Valentinianus III. & Marcianus Chalcedo-
nense.

Concilium Chalcedonense fuisse convo-
catum a Valentiniano III. & Marciano Imp.,
loquuntur Acta illius Concilii. *Sacra Marcia-*
ni



ni (a) ad Leonem Papam, qua ipsum vocat ad Concilium, *Sacra* item eorum Impp. (b) ad omnes ubique Episcopos, qua ipsos adesse jubent in Nicæa Bithyniæ Civitate, quæ primum destinata fuit illi Concilio celebrando. Marcianum convocasse illud Concilium consilio potissimum politico, intelligimus ex iis, quæ alibi (c) diximus.

(a) *Part. I. Conc. Chal. cap. 34.* &⁵ post Leonis Epist. LXI. (b) *Ibid. cap. 46. apud Labbe tom. IV. pag. 67.* (c) *Supra §. XLIV.*

§. LXXXV.

Justinianus CP. II.

Concilium CP. II. convocasse Justinianum Imp., constat ex ipsius *Sacra* (a) ad illud Concilium, in qua sic suum exponit consilium: “Semper studium fuit orthodoxis, & „ piis Imperatoribus patribus nostris pro tem- „ pore exortas hæreses per congregationem „ religiosissimorum Episcoporum amputare, „ & recta fide sincere prædicata, *in pace* San- „ ctam Dei *Ecclesiam custodire*“ Productis exemplis Constantini M., utriusque Theodosii, Marciani, ita prosequitur: “Nos igi- „ tur sequentes sanctos Patres, & volentes „ rectam fidem sine quadam macula in Dei „ Ecclesiis prædicari, & impiorum conatum „ refecare - - - vocavimus vos ad Regiam Ur- „ bem, hortantes communiter convenire &c.“

Impe-

Imperator igitur, cuius memoria perennis in juris communis Codicibus est, convocavit Concilium CP. II., usu, & consuetudine Imperatorum Antecessorum suorum probavit, suam convocationem esse legitimam, illius solicitudinis Imperialis consilium declaravit esse pacem Ecclesiæ, quam inter & Civitatem est scilicet tanta armonia, ut altera alterius morbos non sentire non possit.

(a) Collat. I. apud. Labbè. tom. V. pag. 419.

* Imperatores Christiani ad initio multam assumpserunt solicitudinem negotiorum Ecclesiasticorum. Non desunt, qui affirmant, Constantium M. ex motivo politico non illibenter vidisse controversias Ecclesiæ, eo quod sic alio distraherentur animi Subditorum antea proclivium ad factiones, & rebelliones Civiles, quibus plerique Imperatorum & Imperium & vitam finiverunt. Arbitrantur quidam, Imperatores sibi expetivisse controversias Ecclesiasticas, tanquam occasiones, quibus ob res gestas nomen suum celebre, & immortale ad posteros transmittenterent. Afferunt, motu perpetuandi sui nominiis Justinianum tulisse Edictum de Tribus Capitolis, tum convocasse Concilium: Philippicum suscepisse protectionem Monothelitarum: Anastasium se ingessisse causis Ecclesiasticis: Leonom Isauricum excitasse Bellum sacris imaginibus. Vid. Pluquet nel Dizionario dell' Eresie ec. art. Iconoclasti, e nel cap. 2. e 4. sul Secolo IV. tom. V. Justiniani studium Religionis, tanquam nimium & cum neglectu pene rerum Imperii, reprehendit Procopius lib. 3. de bello Gotthico. Fateor, esse amplas phialas odoramentorum, & laudum incensa oblata Imperatoribus, quæ pas-

fim



ni sim exhibent vel sola Acta Conciliorum. Sed omnes Imperatores vanæ gloriæ motu gesisse curam negotiorum Ecclesiasticorum, non asserunt; non enim cohæret vana gloria cum pietate, qua commandantur Constantinus, Theodosii, Valentinianus, Marcianus, Pulcheria. Imperatores vero affectasse motu politico Schismata Ecclesiæ, nos credere vetat Sacra Constantini ad Melchiadem Papam apud Labbè tom. I. Conc. pag. 1405. qua graviter conque ritur de dissidiis exortis in Africa in causa Donatistarum: Sacra Constantini ad Alexandrum, & Arium apud Eusebium lib. 2. de ejus vita cap. 63. qua illos reprehendit propter dissidia excitata Alexandriæ: Sacra Theodosii, & Valentiniani ad Cyrilum Episc. Alex. apud Labbè tom. III. pag. 436. cap. 31. part. I. Conc. Ephes. qua acriter omnino reprehendunt illum Antistitem propter acta contra Nestorium cum perturbatione Ecclesiæ, & Imperii. Imperatores denique se ingessisse negotiis Ecclesiasticis motu veræ politicæ, svadet mens ipsorum consultissima, cuius vestigia deprehendimus in spiritu Legum Justinianearum, utut sit, quod omnium plane facta non possint salvari a reprehensione.

§. LXXXVI.

Constantinus Pogonatus CP. III.

Concilium CP. III. convocavit Constantinus Pogonatus, ut constat ex ipsius *Sacra* (a) ad Donum, reddita ejus Successori Agathoni, & *Sacra Divali* (b) ad Georgium Patriarcham CP.. Convocasse vero se Concilium publicæ pacis studio, satis declarat, dum

dum in Edicto (c) Confirmatorio Synodalium Decretorum : “ *Firmamentum*, ait, ac funda-
” mentum superno nutu creditæ nobis Christia-
” nissimæ existit *Reipublicæ fides* in Deum in-
” flexibilis, & inconcussibilis ; “ item dum
in sua *Diva Sacra* (d) ad Leonem Papam :
” *Ad pacem*, & *concordiam*, ait, adducere stu-
” demus nostram Christi amantissimam Rem-
” publicam ; “ asserta scilicet fide per cele-
bratum Concilium.

(a) *Apud Labbe tom. VI. pag. 594.* (b) *Ibid. pag. 599.* (c) *Ibid. post Act. XVIII. pag. 1084.* (d) *Ibid. pag. 1100.*

§. LXXXVII.

Constantinus & Irene Nicænum II.

Nicænum II. convocarunt Constantinus, & Irene, ut constat ex *Divali Sacra* ipsorum (a) ad Hadrianum Papam, & *Sacra* eorundem (b) ad Concilium, qua profitentur, se studio pacis publicæ, quæ fluit ex pace, & tranquillitate Ecclesiæ, illud Concilium convocasse : “ Confligimus, ajunt, pro veritate, & ad pietatem contendimus, & Ecclesiastico Ordini consulimus, antiquam legislationem confirmare volentes, ut & militibus consiliis detenti, & Reipublicæ curis vacantes, primum opus habeamus paciferam, observantiam Ecclesiæ Catholicæ.”

(a) *Cap. 3. Conc. Nic. II. apud Labbe tom. VII. pag. 32.* (b) *Ibid. Act. I.*

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Basilus CP. IV.

Concilium CP. IV. convocasse Basiliū
Imp., testantur Patres illius Concilii in sua
Synodica ad Hadrianum (a), in qua notanter
ajunt, "qui --- tam magnam, & Universalem
„Synodus congregare dignatus est &c.“
Sed ut alibi (b) observavimus, juribus Im-
peratoris præstítit testimonium Pontifex, qui
licet imperiose ageret, detulit tamen Concilii
convocationem Imperatori, cuius jura manife-
sta erant.

(a) Act. X. Concilii apud. Labbe tom. VIII.

(b) *Supra* §. LXIX.

§. LXXXIX.

Facta Imperatorum probarunt Concilia.

Convocationes Conciliorum per Imperatores, tanquam legitimas, & solennitates necessarias agnoverunt Concilia. Consule Acta Conciliaria, & loca, quæ hactenus laudavimus; & observabis, *Sacras Imperatorum convocatorias Conciliorum octo primorum fuisse religiose productas in Conciliis, fuisse lectas, propositas tanquam normas agendorum pro parte Civitatis, fuisse insertas Actis ad legitimandos Conventus; immo auctoritatem Imperialem adeo salubrem reputarunt Concilia, ut singulas suas Actiones inceperint illa de-*

clara-

claratione , seu formalitate ex. gr. “ **Synodo**
 „ congregata in hac Metropoli ex **Decreto**
 „ Religiosissimorum , & Christianissimorum Im-
 „ peratorum ; “ vide signanter *Act. I. Concilii*
Ephesini , Actione I. Chalced. Act. I. II. &
seq. CP. III. Act. I. & seq. CP. IV.

§. XC.

Item Pontifices.

• Easdem convocationes legitimas agnove-
 runt & facto & verbo Pontifices Romani. Pa-
 ruit Constantino Silvester, Theodosio, & Va-
 lentiniano Cælestinus , uti etiam verbo profi-
 tetur (a): “ **Huic Synodo** , quam esse *jussitis* ,
 „ nostram præsentiam in his , quos misimus .
 „ exhibemus. “ Paruit Valentiniano , & Mar-
 ciano Leo ; sic scribit (b) Marciano Aug.
 „ *Mox tamen ut mihi Pietatis vestræ scripta*
 „ *funt tradita , ---- direxerim --- qui vicem*
 „ *meam sufficienter implerent. “ Paruit Aga-*
tho Constantino , & ejus Collegis , qui notan-
 ter (c) scribit: “ *Ideoque Christianissimi Do-*
 „ *mini , & Filii secundum piissimam *jussionem**
 „ *a Deo protegendæ Mansuetudinis vestræ*
 „ *pro obedientia quam debuimus , non pro con-*
 „ *fidentia eorum scientiæ , quos dirigimus &c. “*
 Paruit Constantino , & Irene Hadrianus I. ,
 qui in sua *Epistola* (d) ad Tharasium signan-
 ter habet : “ *Ncs autem quemadmodum & in*
 „ *ipsa Diva continebatur Jussione , dilectos*
 „ *nobis --- Sacerdotes --- destinavimus &c. “*

- (a) Epist. ad Theodos. Imp. Act. II. part. 2.
 Conc. Ephes. apud Labbe tom. III. pag. 519.
 (b) Epist. 74. Add. Epist. 73. Epist. ad
 Pulcheriam Aug. 75. Epist. ad Synod.
 Chalc. 72. (c) Epist. ad Constantimum Imp.
 Heraclium, & Tiberium Augg. Act. IV.
 apud Labbe tom. VI. pag. 630. (d) Re-
 lat. Act. II. Conc. Nic.

§. XCI.

Juris Civitatis recentiora vestigia.

Vestigia quædam juris Imperialis recentiora manent. Sic Otho M. Imp. ex plerisque Romanæ Diæcesis, & Italiæ Episcopis Romæ congregavit Synodus ad reformandam Urbem, & Ecclesiam Joannis XII. regimine turbatam. Henricus IV. in suis dissidiis cum Gregorio VII. congregavit Synodos Wormatiensem in Germania, Brixensem in Longobardia, Moguntinam apud S. Albanum. Fridericus I. Ænobardus ad tollendum schisma ex electione duorum Pontificum Alexandri III., & Victoris IV. indixit Concilium Papiense ex Episcopis, & Abatibus Imperii, & aliorum Regnorum. Non disseram hic de merito, & exitu illarum Synodorum; illud tamen observo, non obstantibus fuscis nebulis præjudiciorum, & novæ disciplinæ, perseverasse in Italia, in Germania, & alibi judicium quoddam de antiquo jure Civitatis.

§. XCII.

§. XCII.

Non obstat factum Valentiniani I.

Sed jus convocandorum Conciliorum, in-
quies, fibi competere negavit Valentinianus I.
Rem ita refert (a) Sozomenus; cum defuncto
Joviano Imp. Valentinianus I. Augustus salu-
tatus Constantinopoli discedens per Thraciam
iter ageret Romam, “Episcopi Hellesponti,
„ & Bithyniæ, & alii omnes, qui Filium
„ Patri consubstantialem afferendum putabant,
„ mittunt ad eum pro se Legatum Hypatia-
„ num Heracleæ Episcopum, oratum, ut si-
„ bi de doctrina fidei rite constituenda in
„ unum conveniendi potestas permitteretur.
„ Qui cum venisset ad Valentinianum, & E-
„ piscoporum postulata ei exposuisset, respon-
„ dit ille: *sibi* qui unus e laicorum numero
„ erat, *non licere se ejusmodi negotiis interpo-*
„ *nere*: & ideo Sacerdotes, & Episcopi, in-
„ quit, quibus hæc curæ sunt, seorsum per
„ se ubicumque eis libitum fuerit, in unum
„ conveniant. “ Verum quæro, an hoc loco
magis credendum sit Imperatori, qui singula-
ri exemplo a se rejicit jus facrorum, quam
Episcopis, quorum instantia habet testimonium
& ab anterioribus, & a posterioribus exem-
plis? Arbitror itaque, fuisse Valentiniani il-
lud primum insigne specimen consilii politici,
quo statuerat moderari assumptum Imperium.
Etenim erat singularis Valentiniani fides, &

pietas erga Religionem, propter quam sustinuit exilium sub Juliano Imp., sed vidi frequentes Synodos in causa Arianismi, vidi motus, qui contigerunt non sine perturbatione pacis Publicæ, & Civium detimento sub Imperio Constantini, & filiorum ejus; unde Valentinianus censuit distingui characteres Christiani, & Imperatoris, censuit, Christiani esse, fidem puram, & religionem tueri; sed æque esse Imperatoris, paci publicæ non deesse; cepit alia consilia, & quod Ecclesiæ concedi postulabant, præsidium denegavit, ne concedendo invitaret ad plura postulanda, & ad æmulationem, & indignationem concitaret dissidentes; & non improbo successu; nam tunc intermisit febris dissidentium animorum, finis positus fuit tot Synodis, declinavit Arianismus. Susceptum consilium retinuit Valentinianus, unde permisit, ut quisque quam vellet, religionem coleret: nocturna duntaxat Sacra Ethnicis prohibuit (b): falsorum Numen Sacerdotibus immunitates, & privilegia concessit (c): sed curam Ecclesiæ plane non deposuit, nam ex ipsius mandato anno 367. post annos tres circiter a facto, de quo disserimus, fuit habita Synodus in Illyrico, teste (d) Theodoreto, in qua fuit asserta fides Nicæna, cuius summam decretorum inseruerunt Valentinianus, & Valens Impp. suæ Epistolæ ad Afianam Diæcesim, quam refert (e) laud. Theodoreetus.


(a)

- (a) *Lib. 6. Hist. Eccl. cap. 7.* (b) *L. 7. & 9.*
 de Maleficis, & Mathemat. Cod. Theod.
 (c) *L. 75. de Decurionib. Cod. Theod.* (d)
Lib. 4. Hist. Eccl. cap. 6. (e) *Ibid. cap. 7.*

§. XCIII.

Nec factum Synodi Palmaris.

Patres in Synodo Romana Palmari, convocati a Theodorico Rege, renuebant procedere in causa Symmachi Papæ, antequam Rex “*ipsum quoque Papam* in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse significasset, “ easque ad ipsorum petitionem dari Sacerdotibus sine tarditate constituisset; “ ut constat ex *Actis illius Synodi*. Sed laudati Patres renuerunt procedere non ex ea causa *absolute*, quod Rex illam Synodus convocaverit; sed *respective*, quod convocaverit ad cognoscendum in causa Symmachi contra Laurentium Antipapam, eique adhaerentes Schismaticos, & ad inquirendum non solum, an Symmachus fuerit legitime electus, sed an vera sint quoque crimina, quæ ei objiciebant Schismatici. Unde cum illius “ Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio. “ nullo exemplo probaretur, Patres illi, Synodus Provincialem, minusque judicium constituentes, ob Sedis, & Primatus præminentiam non prius voluerunt aggredi causam, quam constaret, *ipsum quoque Papam* consensisse, id-



que Symmachus Conventum ingressus palam non declarasset.

§. XCIV.

Abeſt denique periculum Ecclesiæ.

Omne denique prudens periculum Ecclesiæ abesse, intelligimus ex institutione Christi Domini, cui placuit non everti Imperia, & Civitates, in quibus suam fundabat Ecclesiam usque ad consummationem Seculi duraturam. Pertinet ad Institutoris providentiam curare, ut Principes sint faciles, mollesque in necessitatibus Ecclesiæ; & si obdurescant, ne Ecclesiæ suæ noceant, sed ut serviant solum ad Ministrorum probationem. Manifestam Dei providentiam vidimus in causa Eutychianorum, in qua post latrocinium Ephesinum Ecclesiæ necessitas postulabat Concilium; sed ad supplicationes Sacerdotum obduruerat Theodosius. Christus exercuit Sacerdotes; sed non deseruit Ecclesiam; quidque in simili casu esset agendum, exemplum dedit in S. Leone, de quo alibi (a). Ad retractandam Synodum Chalcedonensem, qua illi necessitati subvenerat Marcianus, ejus successor Leo Imperator voluit congregare Synodum, quod divino Confilio permisum videtur, ut in exercitatissimo Leone apparet, quid in oppositis casibus esset agendum. S. Pontifex itaque opposuit se Imperatori demon-

monstrando (b) ejusmodi Synodum fore fidei
perniciosa, " non esse in aliquam discepta-
tionem pie & plene definita revocanda, ne
" ad arbitrium damnatorum ipsi de his, in-
" quiebat, videamus ambigere, quæ manife-
" stum est per omnia propheticis, & Evange-
" licis, & Apostolicis auctoritatibus conso-
" nare. " Aestus solitudinis suæ tempera-
vit scribens laudibus, & blanditiis Imperato-
ris. Et quod animo conceperat Imperator,
ne opere compleret, ad constantiam hortatur
omnes ubique Episcopos: " Certus enim sum,
" ajebat, quod Clementissimus Imperator, &
" vir magnificus Patricius, cum omni cœtu
" illustrium Potestatum nihil in perturbatio-
" nem Ecclesiæ patientur obtinere hæreticos,
" si Pastorales animos in nullo viderint flu-
" ctuare. " Ita scribebat (c) Basilio Episcopo
Antiocheno. Ita Episcopis Anatolio Constan-
tinopolitano, Juliano Coensi, Euxitheo Thes-
salonicensi, & Juvenali Hierosolymitano, Aë-
tio Presbytero Constantinopolitano. Sed quid
tandem si Imperator Episcopos convenire co-
egisset? Convenientes laudassent definitiones
Chalcedonenses, & eadem quam præfetule-
runt, constantia declarassent, se convenisse,
ut Imperatori morem gererent, & non quod
dubitassent de definitis; sicque & irrefragabi-
litati Conciliorum, & auctoritati Imperiali
testimonium reddidissent.



(a) *Supra §. LII.* (b) *Epist. ad Leonem August. 132. 133.* (c) *Epist. 118. item Epistolis ad laudatos 116. 117. 119. 120. 121. Edit. Quenellii.*



C A P U T V.

DE ECCLESIAE JURE PRÆSIDENDI CONCILIIS.

§. XCV.

Primas de jure præsidet Conciliis.

Auctoritas Ecclesiæ refidet penes omnes Pastores. Ea igitur rite repræsentatur in Sacro Conciliorum confessu. Jam quoties negotia Societatum in publicis Confessibus, & Comitiis geruntur, nisi turbata velimus omnia, esse aliquem necesse est, qui Confessus dirigat, iisque præsideat. Igitur Concilia Ecclesiæ quoque vi sacri Systematis habent suum Præsidem, ac Directorem; quem autem ipsum esse potius, necesse est, quam Ecclesiæ Primatem, qui centrum est unitatis Ecclesiæ?

§. XCVI.

Id confirming exempla Apostolorum.

Eo jure usus est D. Petrus in Conciliis Hierosolymitanis; legimus enim *Act. I. 15.*
 „*Ex-*

„ Exurgens Petrus in medio fratrum dixit &c.“
 Item *Act. XV.* 7. “ Surgens Petrus dixit ad
 „ eos &c.“ in quibus locis voces: *Exurgens,*
Surgens, innuunt motum quandam singularem;
 non enim erat necesse, Petrum *surgere*, ut lo-
 queretur; nec id referri a Sacro Historico
 absque consilio, necesse erat. Retulit igitur,
 ut significaret S. Petri motum Primatialis soli-
 citudinis, motum præsidii, quo primus res
 tractandas aggressus est.

§. XCVII.

Item *Acta Conciliorum.*

Prærogativam Primatis exhibent *Acta*
Conciliorum. Ad Concilium Marcianus, &
 Pulcheria Augusti vocabant (a) Leonem, ut
Te auctore, ajebant, Synodus celebretur, &
 quæ fides, & pietas Christiana exigebat, de-
 cernantur. Leo misit (b) in Orientem suos
 Legatos, in quibus “ me, inquiebat, Syno-
 „ do vestra Fraternitas æstimet præsidere. “
 Ipsum præsedisse, in suis Legatis, testantur
 Patres Chalcedonenses (c), dum scribunt Leo-
 ni: “ Quibus tu quidem, sicut membris ca-
 2, put, præeras in his, qui tuum tenebant or-
 „ dinem. “ Ejusdem prærogativæ testes sunt
 Patres Concilii CP. II., dum expetunt (d),
 Vigilium sibi præsidere: “ Et ideo petimus,
 „ præidente nobis vestra Beatitudine &c. “

- (a) *Epistolis post Leonis Epist. 57. 58.* (b)
Epist. ad Syn. Chal. 72. ^{et} apud Labbe
tom. IV. pag. 70. (c) *In Synodica ad Leo-*
nem Rom. Pontif. post Leoninam 77. (d)
Eutychius Patriar. CP. epist. ed Vigilium Pa-
pam Collat. I. apud Labbe tom. V. pag. 424.

§. XCVIII.

Sed necessario non praesidet.

Sed quemadmodum Primatus institutus est ad necessitatem, & ædificationem Ecclesiæ; ita in ejusdem jurium, seu honoris, seu jurisdictionis, exercitio semper attentum est, ut servivetur necessitati, & ædificationi Ecclesiæ. Unde licet non esset unquam dubitatum, prælationem deberi Primiati; attamen respectum est, non ad jura, sed ad habilitatem agentium. Hinc ipsi Primates ægre non tulerunt, dirigi negotia Ecclesiæ ab iis, qui vel fama, vel agendorum experientia habiliores viderentur; immo ultro suas delegarunt partes iis, quos rebus gerendis pares agnoverunt.

§. XCIX.

Osius praesedit Nicæno I.

Gelasius Cyzicenus (a) affirmat, *Osium* Cordubæ Episcopum præsedisse Concilio Nicæno I., tanquam Legatum Silvestri Papæ; atqui id non legimus apud Eusebium, ex quo id dicit se exscripsisse. Legimus, Osium sub-
 scrip-

scripsisse primum Concilio: se subscripsisse simpliciter Episcopum Cordubæ, dum Victor, & Vincentius Romani Presbyteri subscriperint se post ipsum cum addito, tanquam Legatos Silvestri (b). Nec obstat, quod observat (c) Natalis Alexander, Osium cum Presbyteris Romanis fuisse prælatum Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, neque illi fuisse deferendum hunc honorem, nisi cum Presbyteris illis vices Primatis sustinuisset. Nam id est, quod quærimus, an scilicet sicuti ceteri Patriarchæ, sic Primas Ecclesiæ, fuerint adeo tenaces suarum prærogativarum, ut non paterentur, quenquam etiam ex causa sibi præferri. Ego arbitror negative. Profecto laudatus Natalis Alexander (d) demonstravit, Osium fuisse a Constantino, & non a Silvestro missum Alexandriam. Osius Alexandriæ Synodus celebravit; neque ægre tulerunt Alexander Patriarcha cum ceteris Episcopis Ægyptiis subjici Osio, Legato quidem Imperiali, nullo tamen propterea Ecclesiastico gradu ceteris eminenti; quid igitur vetat, quominus dicamus, id attributum fuisse peritiæ, & experientiæ agendorum Osi, quod ipsum, sicut Ægyptii Alexandriæ, sic postea Nicææ universi sibi præferri sustinuerint.

(a) *Lib. 2. Actor. Conc. Nic. cap. 5.* ita exscribere se dicit ex 3. lib. de *Vita Constantini*: “Ipse etiam Osius ex Hispaniis, nominis, , & famæ celebritate infignis, qui Silvestri E- „Pif-

„ piscopi maximæ Romæ locum obtinebat, una
 „ cum Romanis Presbyteris Vitone, & Vin-
 „ centio, cum aliis multis in confessu illo ad-
 fuit. “

(b) Legimus, subscriptisse ita: “ Ofius
 „ Episcopus Civitatis Cordubensis Provinciæ
 „ Hispaniæ dixit. Ita credo, sicut superius
 „ scriptum est. “ Deinde sequitur: “ Victor,
 „ & Vincentius presbyteri Urbis Romæ pro-
 „ Venerabili viro papa, & Episcopo nostro
 „ Sancto Silvestro subscriptissimus, ita creden-
 „ tes, sicut supra scriptum est. “ Apud Labbē
 tom. II. pag. 50.

(c) *Diss. XII.* in *Hist. Eccl. Sec. IV.* (d)
Ibid. Diss. X.


§. C.

Cyrillus Ephesino, Tharasius Nicæno. II.

Cælestinus ultro vices delegavit suas Cy-
 rillo Alexandrino in Concilio Ephefino, ut
 appareat *ibid. Act. II.* & Hadrianus I. Tharasio
 Constantinopolitano in Concilio Nicæno II.,
 ut appareat ex *Act. I. & II.* quod in causa,
 de qua agebatur, ipsorum peritiam, agendo-
 rum experientiam, studium, & solicitudinem
 agnoverint.

* Opera Chrisaphii Eunuchi Theodosius Ju-
 nior præsidium in Concilio Ephefino II. detulit
 Dioscoro Episcopo Alexandrino Edic̄to ad eundem,
 quod incipit: *Cunctis constitit manifestum,*
 & extat *Act. I. Conc. Chalc. & Sacra ad eundem,*
 in qua notanter legimus: “ *Necessarium duxi-*
 „ *mus his Sacris literis uti ad tuam Reveren-*
 „ *tiam, per quas manifestum facimus tuæ Bea-*
 „ *titu-*

„ titudini, & universæ sanctæ Synodo, quod
 „ nos regulas SS. Patrum secuti, non solum
 „ propter Theodoretum, sed etiam alios om-
 „ nes, qui ad congregatam Sanctam Synodum
 „ pertinent, auctoritatem, & primatum tuæ
 „ præbemus Beatitudini.“ Fateor, ut observat
 Ill. Petrus de Marca, subreptum fuisse Princi-
 pi, dum decrevit secundum canones præsidium
 Synodi Dioscoro, quum secundum eosdem sit
 Primatis Ecclesiæ, et si ipse necessario non præ-
 sideat. Sed occasione quæstionis, quam agita-
 mus, quæres, quo animo tulerint Romani il-
 lam Dioscori prælationem? Liberatus in Bre-
 viario cap. 12. affirmat. adeo ægre tulisse, ut
 non voluerint assidere illi concilio: “Vices ha-
 „ bentes Papæ Leonis, ait, assidere non passi
 „ sunt, eo quod non fuerit data præcessio San-
 „ ctæ Sedi eorum.“ Ast id ex veritate non
 videtur scripsisse Liberatus; nam non assederunt
 potius, quod non potuerint obtinere, ut lege-
 rentur Epistolæ Leonis: ut legerentur ipsorum
 Literæ Credentialles, & recognoscerentur ipso-
 rum personæ; etenim Leo ejetus est, nullus
 suscepit nomen Leonis, uti reclamarunt Orien-
 tales Episcopi Act. 1. Conc. Chalc., quanquam
 non negem, in casu potuisse Legatos Pontificios
 obstatre Dioscori prælationi, quod ea secundum
 canones, ac legitima a Principe decerneretur;
 attamen quia per Principis subreptionem juri
 manifesto Primatis non derogabatur, propter
 præsidium simpliciter neque Sapientissimus Leo,
 neque ejus Legati causam Dioscoro moverunt;
 sed solum, quod præsidio fuerit abusus, vehe-
 menter doluerunt. Certe in Concilio Ephesino II.
 tota Legatorum Pontificiorum cura
 fuit, ut Leonis Auctoritas, ipsiusque Epistolæ
 reciperentur, neque est disputatum de præce-
 dentia. In Concilio Chalcedonensi (vid. supra
 §.



§. LXXII.) Lucentius Legatus non movit Dioscoro actionem ; quod præsederit Synodo ; id enim Decreto Principis fecit , & Principis subreptioni condonavit Leo , nec voluit moveri quæstionem ; sed movit illi actionem . quod „ Synodum ausus fuerit facere sine auctoritate „ Sedis Apostolicæ , “ hoc est , plane exclusis Legatis , & nomine Leonis ; id non decreverat Imperator , qui iussit Synodo adesse Leonem , id sua fecit præpotentia Dioscorus , & erat culpabilis , atque puniendus . Ceterum quod attinet præsidium , quid , & quantum possint Principes ? collige ex his , quæ sequuntur .



C A P U T VI.

DE CIVITATIS JURE PRÆSIDENDI CONCILIIS.

§. CI.

Constantinus M. præsedit Niceno I.

Constantinum M. præsediſſe Concilio Nicæno I. , conſtat ex fide historica . Refert enim Gelasius Cyzicenus (a) *confedidſſe in medio Imperatorem* ; affirmat (b) Synodus , „ perquisita eſſe „ impia , perversaque Arii dogmata , & Secta- „ torum ejus , coram Sanctissimo Imperatore ; ” affirmat (c) Eusebius Episcopus Cæſareæ Pa- læstinæ , Catholicorum formulam „ coram Im- „ peratore Sanctissimo perlectam eſſe . ” Jam Imperatorem in medio confedidſſe , coram ipſo fuifſe exa-

examinatos errores, conclusam fidei definitio-
nem, innuunt Constantini Imperatoris attentio-
nem, curam, præsidium. Constat igitur ipsum
præsedisse Concilio.

(a) *Lib. 2. Act. Conc. Nic. cap. 8.* (b) *Epist. ad Universam Ecclesiam apud Cyzicenum ibid. cap. 33.* Socratem *lib. 1. cap. 19.* Theodo-
retum *lib. 1. cap. 9.* (c) *In sua Epist. pu-
blica apud Cyzicenum ibid. cap. 34.*

§. CII.

Conciliis aliis alii Imperatores.

Reliquis Conciliis præsederunt alii Impera-
tores. Sic legimus in Libello (a) Synodico :
„ Secunda Oecumenica 150. dīvinorum Patrum
„ congregata est Synodus: cui præfuerunt, & præ-
„ sederunt, Timothæus Alexandriæ, Cyrillus
„ Hierosolymorum - - - & Christi amans Im-
„ Imperator *Theodosius.*” Ephesino præsedit
Candidianus, ut apparet ex Sacra (b) Impp. ad
Synodum. Chalcadonensi Marcianus, tum per
se, ut apparet *Act. VI.* (c) tum per suos Judi-
ces, Constantinopolitanum III. habitum est cum
expressa declaratione : „ *Præsidente eodem piissi-*
„ *mo, & Christo amabili Imperatore Constanti-*
„ *no* “ qui in persona propria præsedit undecim
Actionibus, septem vero per suos Judices, ut
constat ex Actis (d). Nicaeni II. Actiones sep-
tem habitæ sunt, “ *præsentibus, & audientibus*
„ *Gloriosissimis, & magnificentissimis Principi-*
„ *bus* “ Petrona Exconsule &c, & Joanne Impe-
riali

riali Ostiario &c. ut appareat ex Actis; Actio
vero VIII. (e) habita est “ *præsidente ipsa Ire-*
„ *ne cum simul regnante filio Constantino.* “
Constantinopolitani IV. Actiones VI. VII. VIII.
X, habitæ sunt præsidente Imperatore Basilio;
reliquæ vero præsentibus. & audientibus Patriciis,
ut (f) in Actis. Ad exemplum antiquorum
Conciliorum in Constantiensi die 4. Julii 1415.
Sess. XIV. „ Sede Vacante, in cuius quidem
„ *Sessionis principio Sigismundus Romanorum*
„ *Rex, induitus Regalibus vestibus, recessit de*
„ *sua sede solita, & transivit ad aliam Sedem*
„ *positam in fronte altaris, tanquam Præsidens*
„ *pro tunc in Concilio, “ ut in Actis, & præ-*
fedit usque ad cessionem Papatus factam per Ca-
rolum de Malatestis nomine Gregorii XII.

(a) *Apud Labbè tom. II. pag. 974.* Adde *ibid.*
pag. 960. uti in Synodica ad Damasum &
Occidentales. (b) Ibid. tom. III. p. 441.
(c) Ibid. tom. IV. p. 574. (d) Ibid. tom.
VI. (e) Ibid. tom. VII. p. 591. (f) Ibid.
tom. VIII.

* *Legimus can. Continua 5. Caus. XI. qu. I.*
„ *Constantinus Imperator præsidens in Sancta*
„ *Synodo, quæ apud Nicæam congregata erat*
„ *&c “ quem canonem Gratianus attribuit Valen-*
tiniano, Theodosio, & Arcadio Imppp. sed
verba quæ laudavimus, sunt desumpta ex Ru-
fino lib. 10. His. Eccl. cap. 2. & solum quæ præ-
cedunt in dicto can. habentur in Cod. Theod.
l. 16. de Audien. Episc. Item legimus can. Fu-
turam. 15. Caus. XII. qu. 1. „ Idem vero præ-
„ *fidens in Sancta Synodo apud Nicæam congre-*
„ *gata &c. “ quem Gratianus attribuit Melchia-*
di

di Papæ, qui præmortuus est Concilio Nicæno; ex quibus utut partim corruptis, partim supposititiis colligimus, fuisse communem persuationem initio Seculi IX., quo effectæ sunt Iridorianæ Decretales, & Seculo XII., quo compilavit suam Concordiam Canonum Gratianus, Imperatores posse præsidere Conciliis, & Nicæno I. præsedisse Constantinum M., eamque probarunt Correctores Romani, utpote quum in correctione Decreti cit. canonibus nullam deteriorem notam apposuerint. Et omnino quis audeat reprehendere præsidium Imperatorum, quod Concilia Generalia, tanquam legitimum, constanter Actis suis adnotari voluerunt.

§. CIII.

Non præsederunt, ut Judices.

Imperatores non præsederunt Conciliis, ut judices. Nam auctoritatis Ecclesiasticæ aliud est subjectum, alia sunt media, aliis finis, quam quæ sunt Potestatis Civilis (a) Est igitur auctoritas Ecclesiæ penes eos, quibus Christus fundator Ecclesiæ claves tradidit. Atqui tradidit illas suis Discipulis, voluitque transmitti ad ipsorum Successores, ut alibi (b) ostendimus. Ea igitur auctoritas est penes Ministros Ecclesiæ, nec in ipsorum Confessibus Principes sedent, ut judices.

(a) *Supra §. V. VI. XXXIX.* (b) *Supra §. XII. XIII.*

* Cave igitur, ne prætereras limites in asserenda Ecclesiæ auctoritate; si enim illam exclusive arguimus esse penes Ministros ex diffe-

renti objecti natura ab objecto Civilis Potestatis; qui salvabis, quod Ecclesiæ est, si usurpaveris aliena. si confuderis objecta, si auctoritatem Ecclesiæ extenderis ad ea, quæ Principum Potestati subjacuisse, & subiacere dignoscuntur?

§. CIV.

Id professus est Constantinus M.

Id professus est Constantinus M. quod eo libentius allegamus, ut confundamus Novatores, qui initia potestatis Ecclesiasticæ referunt ad Seculum IV., eamque, ajunt, sensim usurpasse Sacerdotes, abusos Principum inexpertorum Clementia, & favore. Donatistæ itaque non contenti judicio Synodi Arelatensis I. appellarunt ad Constantinum, & Principi adhuc catechumeno detulerunt judicium suæ causæ. Ille Recursus Schismaticorum excitabat Augusti attentionem, si quas fraudes, & usurpationes meditati fuerunt Catholici; quid ergo egit Augustus Princeps? Cape: reprehendit graviter Donatistas, rejicit eorum instantiam, & professus est, causarum Ecclesiasticarum naturam esse sublimorem, a Principum cognitione subtractam, & solum perviam, & cognoscibilem Sacerdotibus, quos Christus Institutor constituit Depositarios suæ doctrinæ, & Judices causarum inde fluentium; sic rescripsit in sua Epist. ad Episcopos post Synodum Arelatensem (a) „Meum iudicium postulant, qui ipse iudicium Christi „expecto. Dico enim ut se veritas habet, Sacer- „dotum

„ dotum judicium ita debet haberi, ac si ipse
 „ Dominus residens judicet. *Nihil enim licet his*
 „ aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Chri-
 „ sti magisterio sunt edocli. Quid igitur sentiunt
 „ maligni homines, officia ut vere dixit diab-
 „ li? Perquirunt secularia, relinquentes cœle-
 „ stia. O rabida furoris audacia! sicut in cau-
 „ sis gentium fieri solet, appellationem inter-
 „ posuerunt. “ Exacte ad meum judicium.
 Constantinus defert, & deferri vult judicio Mi-
 nistrorum, quia alterius sphæræ sunt causæ,
 quas judicant, quia vindicant solum spiritualia,
 quæ Christi magisterio didicerunt. Auctoritatî
 Ecclesiasticæ dedit testimonium Constantinus
 etiam in Concilio Nicæno, dum receptis accu-
 sationis contra nonnullos libellis, “ ita ad Epis-
 „ copos loquitur: Postea quam Deus vos Sacer-
 „ dotes, & *Judices* designavit ad disceptandas,
 „ & dijudicandas populi controversias, vosque
 „ deos scribendos censuit, tanquam hominibus
 „ ceteris longe præstantiores (dictum enim est,
 „ Ego dixi, dñi estis, & filii Excelsi omnes:
 „ & Deus stetit in Synagoga deorum) certe vul-
 „ garia ista negligere oportet, omnique cura,
 „ & studio in res divinas incumbere.“ Ita Ge-
 lafius (b).

(a) Apud Labb  tom. I. Eam edidit pri-
 mum Petrus Pith us. Extat item in appendi-
 ce ad Optatum Milevitanum. Eam esse ge-
 nuinam, colligimus ex laud. Optato, qui ad
 dictam Epistolam respexit lib. I. advers. Parme-
 nian. Donatis. dum refert, ad Donati post plu-
 res sententias appellationem Constantinum re-

spondisse: "O rabida furoris audacia! sicut in
 „causis Gentilium fieri solet, appellationem in-
 „terposuerunt." Item dum refert, Constanti-
 num lectis Donatistarum libellis, quibus sibi da-
 ri judices de Gallia petebant, "plenum livore
 " respondisse, . . . Petitis a me in seculo ju-
 „dicum, cum ego ipse Christi judicium expe-
 „ctem." (b) Lib. 2. Act. Conc. Nic. cap. 8.

* Sed inquies: Recursus Donatistarum, &
 libelli accusatorii Nicæe oblati arguunt tamen
 auctoritatem Imperatoris in causis, de quibus
 agebatur; alias quamobrem recurrissent? Re-
 spondeo, illas instantias non arguere, nisi jus
 Præsidii, unde libellus primus Donatistarum sic
 sonabat: "Rogamus te, o Constantine Optime
 " Imperator, . . . Nam in Africa inter nos
 " & ceteros Episcopos contentiones sunt, ut de
 " Gallia nobis judices dari præcipiat Pietas tua;"
 quem refert Optatus lib. 1. advers. Parmen. &
 laudat Labbé tom. I pag. 1403. in quo a Con-
 stantino, tanquam pacis Ecclesiæ Vindice pe-
 tutur judices. & non causæ decisionem. Quod
 si Donatistæ postmodum amplius aliquid postu-
 laverint, illud inordinati zelus, & Schismatis
 debet reputari effectus.

§. CV.

Idem professi sunt alii Imperatores.

Constantino consentiunt alii Imperatores.
 Sic Theodosius, & Valentinianus Impp. in sua
 Sacra (a) ad Synodum Ephesinam scribabant:
 „Candidianum . . . ad sacram vestram
 „Synodum abire jussimus, sed ea lege, & con-
 „ditione, ut cum quæstionibus, & controver-
 „siis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil
 „quid-

„ quidquam commune habeat: (*nefas* est enim
 „ qui Sanctissimorum Episcoporum catalogo ad-
 „ scriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis,
 „ & consultationibus sese imminiscere &c.) “
 Quam cohærenter! Prohibent, Candidianum
 habere aliquid commune circa fidei dogmata;
 nam sunt ista supernaturalia, extra Principum
 judicium, & Sacerdotibus solum commendata.
 Idem demum pulchre eloquitur Basilius Imp. in
 suo (b) *Epanagnostico*, seu Oratione ad Syno-
 dum CP. IV. dicta per Bahanem Patricium:
 „ De viris autem *laicis*, inquit, tam qui in di-
 „ gnitatibus, quam qui absolute versamini;
 „ quid amplius dicam, non habeo, quam quod
 „ *nullo modo nobis liceat* de Ecclesiasticis causis
 „ sermonem movere, neque penitus resistere
 „ integritati Ecclesiæ, & Universali Synodo ad-
 „ versari; hæc enim investigari, & quærere
 „ Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est,
 „ qui regiminis officium sortiti sunt, qui sancti-
 „ ficanti, ligandi, & solvendi *potestatem* habent,
 „ qui Ecclesiasticas adepti sunt *Claves*, non no-
 „ strum, qui pasci debemus, qui sanctificari,
 „ qui ligari, vel a ligamentis solvi egemus. ”

(a) *Apud Labbē tom. III. pag. 441.* (b) *Act. I.*
apud Labbē tom. VIII.

§. CVI.

*Sed præsederunt, ut turbarum, & violen-
 tie Vindices.*

Præsederunt vero Conciliis, ut arcerent
 turbas, & violentias, ut agendorum solicito

examini invigilarent, ut jura, & singulorum iudicij libertatem defenserent, Id apparet ex laud.
Sacra ad Synodum Ephesinam, in qua, Candidianum, ajunt Imperatorēs, “ad sacram vestram Synodum abire jussimus; - - - ut diligenter prospiciat, ne qua dissensio ex mutuo repugnandi studio exorta increbescat, & saepe tempestatis instar debacchata, sanctissimae Synodi vestræ consultationem, exactioremque veritatis indagationem forte obturbet: sed ut iis quæ dicuntur, rite perceptis, singulari inoffense quod visum fuerit in medium proponere, vel ab aliis propositum refutare queant: ut ea tandem ratione, ubi per singulas propositiones, exceptionesque inquisitio citra ullam omnino turbam, contentionemque habita fuerit, quod omnibus placitum, probatumque erit, communi vestræ sanctitatis sententia constituatur, decernaturque. Similiter committebat Pulcheria Augusta in sua
Sacra (a) Stratego Consulari Bithyniae: “ut cum omni disciplina confidente sancta Synodo; sine aliqua commotione, quæ a Domino Christo revelata fuerint, communiter ab omnibus confirmentur. “

(a) *Apud Labbē tom. IV. p. 70.*

§. CVII.

Item, ut externi ordinis Moderatores.

Neque otiosi ad cautelam hærebant solum; sed ipsi quoque maxime industrii, & laboriosi rerum

rerum ordinem moderabantur, & præ ceteris sua opera concurrebant, ut od optatum exitum Concilia deducerentur; sic suam solitudinem significat Constantinus in *Epist.* ad Alexandrinos adversus Arium, & ad omnes Orthodoxos, (a):
 „ Unum igitur Deum omnes & nomine vene-
 „ ramur, & esse credimus. Ut autem istud fie-
 „ ret, Dei voluntate magnam Episcoporum tur-
 „ bam Nicæam convocavi: quibuscum ego ipse
 „ tanquam unus ex vestro numero (nam me con-
 „ servum vestrum esse supra modum gaudeo)
 „ operam dedi, ut veritas diligenter investigare-
 „ tur.“ Constantinus igitur sua opera concurrit,
 tanquam alter Episcopus, ut fides Catholica
 Nicææ affereretur.

(a) Apud Gelasium lib. 2. Ad. Nic. cap. 36.
 Labbæ tom. II. Socratem lib. 1. Hist. Eccl.
 cap. 9.

§. CVIII.

Modus ordinandi Constantini M.

Ordinem Constantini M. in Concilio Ni-
 cæno ita nobis depingit Eusebius (a): “ Cum
 „ igitur multa essent ex utraque parte propo-
 „ sita, magnaque controversia in ipso disputa-
 „ tionis ingressu a quibusdam concitata; Im-
 „ perator ille celeberrimus omnes benigne au-
 „ diebat, intentissimo studio utriusque partis
 „ propositiones excipiebat: interdum etiam
 „ ferens opem alterutri disceptantium parti,
 „ eos magna cum contentione digladiantes pau-

„ latim reconciliabat , cum singulis comiter,
 „ & benigne sermonem conferebat græce : nam
 „ ne hujus quidem linguæ ignarus erat . Sva-
 „ vis erat & blandus , dum aliis persvadere,
 „ aliis sermone pudorem exprimere , alias qui
 „ diserte dixissent , collaudare , omnes denique
 „ ad concordiam reducere contendebat : us-
 „ que eo donec tandem eos tum conspirantes
 „ animis , tum opinionibus consentientes red-
 „ deret : ut pium dominicæ gloriæ studium
 „ principatum uno consensu obtineret , & præ-
 „ valeret fides salutaris vere a Spiritu Sancto
 „ per omnes prædictos sanctos Patres nostros
 „ promulgata . “

(a) *Lib. 3. de vita Constantini cap. 13. relat.*
a Gelasio cit. lib. 2. cap. 28. Labbè tom. II.

§. CIX.

Non dissimilis Marciani.

Marcianus Imp. in sua (a) Allocutione ad Synodum Chalcedonensem , “ Nos enim , ait ,
 „ ad fidem confirmandam , non ad potentiam
 „ aliquam exercendam , exemplo Religiosi
 „ Principis Constantini , Synodo interesse vo-
 „ luimus . ” Solicitudinem ipsius distinctis co-
 loribus depictam nobis non exhibent Acta Con-
 ciliaria ; ast minime ambigo , fuisse imitatum
 Constantinum , cuius exemplo se Synodo præ-
 fidere affirmabat . Multæ ipsius solicitudinis
 testimonium reddunt Patres Chalcedonenses in
 sua

sua *Synodica* (b) ad Leonem Papam: "Impe-
,, ratores, inquiunt, fideles ad ordinandum de-
,, centissime præsidebant, sicut Zorobabel, &
,, Jesus, Ecclesiæ tanquam Jerusalem, ædifica-
,, tionem renovare circa dogmata annitentes."

(a) *Act. VI.* apud Labbē tom. IV. p. 575. (b)
Ibid. tom. IV. & post Leonis Epist. 77.

§. CX.

Singularis Pogonati.

Singulariter distincta apparet solicitude Constantini Pogonati in Concilio CP. III. *Act. I.* rogatus a Macario Antiocheno jussit Acta Synodorum Generalium ex Patriarchico Constantinopolitano per Chartophylacem ad medium deduci, & relegi. *Act. II.* jussit relegi Acta Synodi Chalcedonensis, miscuit verba cum Macario Antiocheno, & ejus fidem est scrutatus, posuit finem Actioni: "Sufficit & nunc præsens lectio." *Act. III.* jussit reassumi electionem Actorum Chalcedonensium per Lectorem Antiochenum; direxit illam Actionem, sicut & reliquas vel per se, vel per suos Legatos usque ad finem, ut exhibent Acta illius Concilii. Absit, ut Imperatoris solicitudinem carpamus, quam multis laudibus Patres extulerunt; *Act. XVIII.* in Serm. Propheticō meritum Concilii Imperatori attribuerunt: "Sed audenter, ajunt, dicimus tanquam per organa Spiritus per nos, & una nobiscum, quod

„ excisum erat, retexuisti, & ad soliditatem
 „ compaginasti, integratique restituisti; “ in
 Synodica vero ad Agathonem, per ipsius con-
 fessionis literas ad Imperatorem datas nos “ ex-
 „ ortam, ajunt, nuper multiplicis erroris hæ-
 „ reticam sectam depulimus, Constantino nobis
 „ ad decernendum hortatore, qui divine imperat,
 „ sceptraque Clementissime regit, quo Adjutore
 „ impietatis errorem evertimus, hæreticorum
 „ nefariam doctrinam quasi obsidione adorti.“

* Vid. Labbē tom. VI. Conc.

§. CXI.

Congruit Constantini, & Irene.

Prædecessorum exempla, in Concilio Ni-
 cæno II. imitati sunt Augusti Constantinus, &
 Irene. *Act. VIII.* jussérunt legi coram se, &
 cuncto adstante populo definitionem a Patribus
 editam, qua lecta per Cosmam Diaconum &
 Cubucleium scrutati sunt judicia omnium, &
 singulorum, & ita interrogaverunt: “ Dicat
 „ Sancta & Oecumenica Synodus, num lecta
 „ definitio vestrum omnium consensu sit edita?“
 Præcedentibus Actionibus non deerant per
 suos Legatos, ut Acta loquuntur (a). Habes
 igitur facta, eaque legitima, & modum juris,
 nunc ad alia transeamus.

(a) Apud Labbē tom. VII.



CAPUT



C A P U T VII.

DE JURE CONVOCANDORUM AD CONCILIA-

§. CXII.

Vocandi sunt omnes Episcopi.

Ad Concilia Generalia vocandi sunt omnes Episcopi; sunt enim omnes Pastores, & Doctores Ecclesiæ (a), omnes positi a Spiritu Sancto regere *Ecclesiam Dei* (b), ad omnes pertinent dogmata, quæ definiuntur, & disciplina, quæ stabilitur in Conciliis. Igitur omnes accessum habent ad Concilia, ut suam, suorumque fidelium, & Dei causam agant.

(a) *Ephes. IV. 11.* (b) *Act. XX. 28.*

§. CXIII..

Nulli hactenus adfuerunt omnes.

Verum nulli Concilio hactenus adfuerunt omnes Episcopi. De Conciliis Apostolorum legimus *Act. I. 15.* Petrum exsurrexisse in medio fratrum: *Act. VI. 2.* convenisse duodecim Apostolos cum multitudine discipulorum: *Act. XV. 6.* convenisse Apostolos, & Seniores. Sed sunt hæ locutiones indefinitæ, & significant, vel omnes omnino convenisse, vel convenisse plerosque, & quot sufficiebant ad repræsentandum

Con-

Concilium, vel saltem neminem fuisse exclusum volentem accedere. Concilio Nicæno adfuerunt Patres 318. Osius ex Hispania, Vitus & Vincentius Presbyteri Romani, Episcopus unus ex Gallia, unus ex Africa, ceteri erant Orientales. Constantinopolitano I. adfuerunt Patres 150. omnes Orientales. Ephesino I. Episcopi 274. ex Occidente soli Legati Romani. Similiter ex Actis aliorum Conciliorum colligimus non fuisse servatam proportionem, neque quoad numerum, neque quoad nationes, & provincias diversas.

§. CXIV.

Accedebant, quos eligebant Metropolitani.

Atque ut a temporibus, quibus Ecclesia fruitur favore Civilis Præsidii, rem aggrediamur, Arelatensi I. quod primum a pace Ecclesiæ data celebratum fuit, non omnes Episcopi adesse sunt jussi; sed ii duntaxat, quos ex suis Provinciis opportunos, & utiles futuros credidissent Primates, uti constat ex Diva (a) Constantini Aug. ad Ælafium: “Injungendum solertiæ tuæ duxi, ut mox has literas meas acceperis, cum Cæcilianum supra dictum cum aliquibus ex his quos ipse delegerit; sed & de Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Maritaniarum provinciis, singuli quique aliquantos ex suis perducere debebunt, quos ipsi putaverint eligendos.”

(a) *Apud Labbé tom. I. pag. 1422.*

§. CXV.

§. CXV.

Alii curam absentium supplebant.

Qui domi manebant, suarum, & aliorum, qui ad Concilia discedebant, Ecclesiarum curam interea supplebant, uti utrumque magis constat ex Theodosii, & Valentiniani Sacra ad Cyrillum Episc. Alex. & Episcopos Metropolitanos Provinciarum: “Tua Pietas --- ad Ephesiorum Asiæ Civitatem accurrat, non nulosque, quos nimirum *idoneos* *judicabit*, Sanctissimos Provinciæ suæ Episcopos simul eodem secum adducat: ita ut neque qui satis sint sanctissimis ejusdem Provinciæ *Ecclesiis*, desint, neque ii rursum, qui ad eam rem apti censemuntur, in sacra Synodo desiderentur.”

* Ibidem rememorant Patres Ephesini in sua Synodica ad Impp. Act. I. apud Labbé tom. III. pag. 567. “Vestra Majestas --- ex omni Metropoli piissimos Metropolitanos, qui Episcopos adducerent, & aliquos aliarum Civitatum Episcopos ad diem Pentecostes convenire jussit.”

§. CXVI.

Eligebantur habiliores.

Aptiores, & magis idoneos eligi, & ad Concilium adduci jusserunt Valentinianus, & Marcianus Impp. in sua Sacra ad omnes ubique Episcopos: “Unde tua Sanctitas, ajunt, cum

„ cum quantis approbaverit Reverendissimis E-
 „ piscopis sub suo Sacerdotio constitutis sancta-
 „ rum Ecclesiarum expertas habentibus divinas
 „ Scripturas, & id scientia, & doctrina ortho-
 „ doxae, & veræ fidei præ cunctis eminentibus,
 „ ad memoratam Nicænam Civitatem proxi-
 „ mis Kalendis Septembbris advenire festinet.“

§. CXVII.

Subinde mittebantur minus bables.

Attamen quando alii non habebantur, mittebantur etiam minus idonei, ut si non Magistri, saltem testes essent fidei, & morum suorum Ecclesiarum, ut intelligimus ex Agathonis Papæ Epist. (a) ad Constantimum Imp., Heraclium, & Tiberium Augg. “ Ideoque --- se-
 „ cundum piissimam iussionem --- pro obe-
 „ dientia, quam debuimus, non pro confidentia
 „ eorum scientiæ, quos dirigimus, præsentes
 „ confamulos nostros --- curavimus demanda-
 „ re. Nam apud homines in medio gentium
 „ positos, & de labore corporis quotidianum
 „ victum cum summa hæsitatione conquiren-
 „ tes quomodo ad plenum poterit inveniri
 „ scripturarum scientia, nisi quæque regulariter
 „ a Sanctis, atque Apostolicis Prædecessoribus,
 „ & Venerabilibus quinque Conciliis definita
 „ sunt, cum simplicitate cordis, & sine ambiguita-
 „ te a Patribus traditæ fidei conservamus, unum
 „ ac præcipuum bonum habere semper optan-
 „ tes

„ tes, atque studentes, ut nihil de eis quæ
 „ regulariter definita sunt, minuatur, nihil aut
 „ mutetur, vel augeatur, sed eadem & verbis
 „ & sensibus illibata custodiantur ? “ Hæc
 placuit producere, ut & statum Ecclesiæ Ro-
 manæ Seculo VII. intelligas, & cognoscas im-
 pedimenta literaturæ, & assequaris tandem etiam
 apud illiteratos conservari fidei, & morum
 probitatem.

(a) *Aet. IV. Conc. CP. III. apud Labbé tom. VI. pag. 630.*

§. CXVIII.

Accedebant cum instructione absentium.

Antequam discederent ex suis Provinciis,
 de causa in Concilio tractanda cum suis Com-
 provincialibus Episcopis Synodum celebrabant,
 in eaque suum dicebant judicium, quod in li-
 teris authenticis per eos, qui discedebant, Con-
 cilio transmittebant. Illius disciplinæ passim
 leguntur exempla ; sic Cælestinus *Epist. ad*
Theod. Imp. (a) se suo, & Synodi nomine Le-
 gatos misisse nunciat: “ Per fratres, & Coepis-
 ” copos meos ---- quos misimus, *intimamus.* “
 Eosdem totius Occidentis Legatos esse signifi-
 cant Patres Ephesini in sua Synodica (b) ad
 Impp. “ Quia ergo viri isti, qui venerunt,
 ” totius Occidentis Sanctæ Synodi sententiam no-
 ” stræ huic Synodo per literas exposuerunt,
 ” sensumque de fide & pietate nobis consonum
 ” decla-

„ declararunt, & eadem quæ nos decreverunt,
 „ tum per literas, tum per ea quæ *in mandatis*
 „ acceperant, quæ & *in scriptis* deposuerunt,
 „ necessario quod officii ratio postulabat, de
 „ consensu illorum nobiscum ad Majestatem
 „ vestram retulimus.“

(a) *Aet. II. Conc. Ephes.* apud Labbē tom. III.
 pag. 619. (b) *Aet. III. ibid.* pag. 631.

* Idem intelligimus ex Sacra Pogonati ad Georgium Patriarcham CP. apud Labbē tom. VI. pag. 599. “Agatho --- destinavit in præfenti propriam ejus indutos personam --- ex persona vero totius ejus Concilii Joannem, & Abundantium &c.” Item ex ejusdem divina iussione ad Synodum Romanam missa per legatos apud Labbē ibid. pag. 1104. “Intervexit namque & vos cum Universali Principe Pastorum, simul cum ipso divinitus loquentes tam *in spiritu*, quamque *in litera*. Suscepimus enim non tantum ex Beatitudine ejus, verum etiam a Sanctitudine vestra directas nobis literas, quæ prolatæ, lectæ sunt, & veritatis verum stylum declaraverunt, orthodoxamque fidem depinxerunt.” Ad Concilium Nicænum II. Legatos cum iudicio fidei Occidentalium mitti voluerunt Constantinus, & Irene, ut in ipsorum Divali Sacra ad Hadrianum Papam: “Eligat viros honorabiles, habentes scientiam, & dirigat una cum syllabis &c.” apud Labbē tom. VII. pag. 52.

§. CXIX.


Subinde præscribatur numerus mittendorum.

Subinde præscribatur numerus mittendorum, ut intelligimus ex laud. Sacra Pogonati ad Donum redditâ ejus Successori Agathoni: "Personas vero, quæ dirigentur a paterna vestra Beatitudine ita decernet: ex vestrâ quidem Sancta Ecclesia (si utique videtur ei) *tres* personæ sufficient: quod si & plures, quantæ ei placuerunt, dirigat: de Concilio vero usque ad *duodecim* Metropolitas, & Episcopos. De quatuor vero Monasteriis Byzacenis ab unoquoque Monasterio Monachos *quatuor* &c." quod fuisse executos Occidentales constat ex ejusdem Imperatoris Sacra Divali ad Georgium Patriarcham CP., qua Orientales vocabat ad Concilium.

§. CXX.

Etiam ex consilio œconomico.

Eum numerum mittendorum præscripsisse ex consilio œconomico, conjicio ibidem ex laud. Sacra ad Donum, in qua ait Imperator: "Omnem vero concursum venientibus jussimus præbere Theodorum Patricium, & Exarchum ---- nostræ Italiae Provinciæ, tam in navi, quamque in expensis, & om-



„ ni utilitate eorum &c. “ Igitur ne sumptus augerentur, præscribit illum moderatum numerum mittendorum. Profecto Constantinus M. in sua Divali ad Chrestum Episcopum Syracusanum (a), qua eum vocabat ad Synodum Arelatensem I., ita scribebat: “ Quoniam ergo plurimos ex diversis compluribus locis Episcopos in Arelatensum oppido ad Kalendas Augusti convenire præcepimus, tibi etiam per literas significandum duximus, ut accepto a Clarissimo viro Latroniano Correctore Siciliæ publico vehiculo, cum duobus aliis secundæ sedis, quos ipse diligendos judicaveris, tribusque una famulis, qui vobis in via ministrent, adscitis, designatum in locum ad diem prædictum te conferas. “ Præscribebat itaque sibi eligi duos Suffraganos, & accipi tres famulos, singulos singulis Episcopis, motu utique economico.

(a) *Apud Labbē tom. I. pag. 1423.*

§. CXXI.

Universalitas Concilii desumitur a judicii universalitate.

Ex dictis colligo; convocari debere ad Concilia Generalia omnes Episcopos; sed adesse eos tot necesse est, quot ad repræsentandam Universalem Ecclesiam sufficiunt. Sufficiunt vero tot, quot necessarii sunt ad suo testimonio, & judi-

judicio contestandam doctrinam Universalis Ecclesiæ, ita ut, singulis testantibus de singulis Ecclesiis, manifestus fiat sensus totius Universitatis: manifesta fiat fides Universæ Ecclesiæ, quæ sicut Ecclesia constat ex membris, & singularibus Ecclesiis, sic est universalis, unanimis, una, si eadem sit in singulis membris.

§. CXXII.

Quod non desumitur a numero convenientium.

Oecumenicitatem igitur Synodi non reponimus in numero præcise Episcoporum; possunt enim congregari ingenti numero Sacerdotes ex una quadam Episcopatibus fertili Provincia, quin repræsentent universam Ecclesiam; sic præcise ob magnum numerum Prælatorum Concilia Lateranensia ex plerisque Episcopis, & Abatibus Italis conflata minime nobis licet præferre Nicænîs, Constantinopolitanis, aliisque.

§. CXXIII.

Sed ab ipsorum conditione.

Sed Oecumenicas desumitur a convenientium conditione; sic oecumenica totius Ecclesiæ sunt Concilia in Oriente habita, licet ex Orientalibus potissimum fuerint composita,

quod pauci Occidentales *sua conditione* suffi-
cienter repræsentaverint Ecclesiam Occidentis;
solebant enim Conciliis Generalibus, ut ob-
servavimus (a), præmitti Synodi Provinciales,
aut nationales, & ex iis Synodis cum authen-
tico judicio, & testimonio domi manentium
mitti, qui ad Concilia Generalia accedebant;
unde in illis paucis loquebantur universi ab-
sentes etiam, nec deerat quidquam ad judi-
cii, & testimonii œcumenicitatem.

(a) *Supra §. CXVIII.*

§. CXXIV.

Quæ suppletur aliis argumentis.

Quod si contigisset, eos qui residuebant
in Conciliis, non habuisse speciale mandatum
absentium, vel absuisse quandam spectabilem
Ecclesiam; subinde non præjudicabatur Oecu-
menicitati Concilii, idque toties, quoties fi-
des absentium erat manifesta per eos, qui e-
rant præsentes. Fides vero absentium toties
erat manifesta per præsentes, quoties præsen-
tium, & absentium erat manifesta & fidei pro-
fessio, & illorum communio, quæ non daba-
tur, nisi inter eos qui eodem fidei spiritu ani-
mabantur. Unde meo judicio Patres Conci-
lli Constantinopolitani I. vocarunt suum Con-
cilium Generale, licet ei nullus adfuerit ex
Occidente, eo quod fuisset manifesta com-
munio Orientales inter et Occidentales, ma-

nifesta Occidentalium fides de dogmate asserto ab Orientalibus; hinc Occidentales iudicium Orientalium, uti Generale, statim collaudarunt.

* Non præstant obsequium Ecclesiæ Vindices Romanarum prætensionum, dum cæci impletunt Concilia, ita ut si iactus non aberrarent, rueret totum sacrum systema. Sunt vero tot iactus reprehensibiles, quot insubstantia incaute sparguntur principia de natura, & proprietatibus Conciliorum. Exhibit nobis exemplum P. Zacharias part. 2. del. suo Anti-Febronio lib. 4. cap. 3. §. 13. ubi postquam de Concilio Basileensi insigni immoderatione ita scripsisset:

“ Non negatur, quod hoc Concilium insigni audacia, & impostura explicuerit decreta Constantiensia etiam de auctoritate Synodorum Generalium supra Pontifices certos, & indubitatos; “ ut derogaret illius Concilii auctoritati, ita fodit aliis universum Conciliis cuniculos: “ Sed plura essent demonstranda;

1. Quod illud Concilium fuerit Generale omnium Patriarchatum, & non Generale solius Patriarchatus Occidentalis, & id ego dico, non quod Generale non illud credam, sed quod tale dubium proposuerit Cardinalis Cusanus lib. 2. cap. 20. 2. esset quoque secundum ideas Cusani demonstrandum, quod fuerit Generale etiam hujus solius Patriarchatus, quando fecit illa decretal; 3. quod illa decretal fuerint legitime promulgata; 4. quod fuerint ab Eugenio IV. confirmata. Ita non Cusanus duntaxat, sed ex Cusano etiam Zacharias, alias si Cusani doctrinam non probabat, cur illam opponebat Adversario? Anti-Febronius Zachariæ editus fuit Pesauri in statu Pontificio. Zachariæ applause runt



runt Zelatores incrementorum Pontificiorum. Jam inculti exigant ad conditiones ipsius Concilia, quæ venerantur Generalia, & deprehendent laqueos, quibus irretiuntur.

§. CXXV.

Non sunt excludendi, quorum causa agitur.

Porro cum auctoritas Ecclesiæ exerceatur per doctrinæ sermonem; Conciliis adesse eos oportet, quorum causa agitur, ut Ecclesia scilicet ignorantes instruat, inobedientes corripiat, ac nonnisi pertinaces a suo corpore anathemate præscindat. Id semper servavit Ecclesia; sic in Concilio Nicæno I. vocavit, admisit cum sua corona Philosophorum, audiavit, & nonnisi convictum, & pertinacem damnavit Arium; sic in Ephesino Nestorium, in Chalcedonensi Eutychen, vocatos, auditos, admonitos damnavit, ut loquuntur Acta Conciliorum.

* Vid. *infra* §. CXXVII.

§. CXXVI.

Sunt vero arcendi non necessarii.

Procul abesse a Conciliis jubebantur, quos adesse nulla necessitas postulabat; unde Theodosius, & Valentinianus in laud. Sacra ad Synodum Ephesinam significabant, jussum esse Candidianum adire Synodum, "ut Monachos, & Seculares, qui hujus spectaculi causa vel eo nunc confluxerunt, vel im-

poste-

„ posterum confluent, ab eadem illa Civitate
 „ modis omnibus submoveat: quandoquidem
 „ non licet, illos qui omnino necessarii non
 „ sunt ad sacrorum dogmatum examen, tu-
 „ multus excitare, & iis quæ cum tranqui-
 „ litate a vestra Sanctitate constitui, defini-
 „ rique debent, obstaculum aliquod afferre.“

* Similiter non necessarii exclusi sunt chal-
 cedone, ut colligimus ex Sacra Pulcheriaæ Au-
 gustæ ad Strategum apud Labbè tom. IV.
 pag. 70.



C A P U T VIII. DE FORMA JUDICII CONCILIORUM.

§. CXXVII.

Partes Judicij.

Constituitur judicium ex judice, actore, & reo, quos & Conciliis adesse necesse est. Sed sicuti in aliis judiciis, sic in Conciliis, actor suppletur publica voce, & fama; reus non confessus, aut non convictus non damnatur; verum supplet confessionem contumacia judicio se fistere non volentis.

* Hinc caute agendum cum adversariis, ne ipsorum absentiam causent effectum, non contumaciæ, sed alterius causæ. Verum quando Ecclesia contra hæreticos procedit, duo agit,

vindicat scilicet doctrinam Ecclesiæ & coercet temeritatem hæreticorum; unde si contingeret irregularitas quædam in processu contra personas, illa non præjudicaret definitionibus, quas ederet ad vindicandam doctrinam.

§. CXXVIII.

Rei non adjunt, ut Judices.

Quemadmodum in nullo Tribunali, ita neque in Conciliis sedent, ut Judices, ii de quorum reitate quæritur. Id confirmant Acta Chalcedonensia. Commiserat Leo Papa suis Legatis, “ut Dioscorus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur.” Quod quum Paschasius Legatus Romanus se in mandatis habere exposuisset, Judices, & Commissarii Imperiales dixerunt: “Quid enim specialiter objicitur Dioscoro Reverendissimo Episcopo? ” Vicarii Romani insistebant: “Neceſſe est judicii sui eum dare rationem. ” Non patimur tantam injuriam nec vobis fieri, nec nobis, ut iste sedeat, qui iudicandus advenit. ” Tandem post plures altercationes interlocuti Gloriosissimi Judices dixerunt ut Dioscorus *in medio sederet*, ita ut *reο similis magis, quam iudici haberetur.*

§. CXXIX.

*Sedent, ut Judices, qui jam in causa
Judicarunt.*


Recte sedent, ut Judices, qui in causa, de qua quæritur, antea suum iudicium dede-
runt.

runt. Sic Hierosolymis *Act. XV.* in causa Antiochena inde missi Paulus, & Barnabas in Petri sententiam locuti sunt. Affidebant Nicæno I. Alexander Episcopus Alexandrinus, & Osius Episcopus Cordubæ, et si uterque antea in causa judicium dixerit Alexandriæ. Affidebant Ephesino Cyrillus Episcopus Alexandrinus, & Cælestinus Papa per suos Legatos, licet uterque in suis, Synodis prædamnaverit Nestorium. Præsedidit Chalcédoneni Leo Papa per Legatos in causa Eutychetis, quem sœpe antea damnaverat. Profecto non est insolitum, ut judices primæ instantiæ sedeant cum aliis judicibus in secunda instantia.

§. CXXX.

Episcopi sunt Judices.

Episcopi sunt Judices in Concilis. Nam est Ecclesiæ auctoritas penes omnes Pastores, ut alibi (a) differuimus. Igitur omnes ex ea auctoritate procedunt in Conciliis, omnes sunt Judices. Id constanti praxi Ecclesiæ docemur. Hierosolymis *Act. XV.* Petrus quidem primus dixit suum judicium, & judicavit *indefinite*, non esse *imponendum jugum legis super cervices discipolorum* (b); attamen illud judicium, nec ultimum, nec irreformabile, habitum est; etenim judicavit deinde Jacobus: *Ego judico &c.* & limitavit Petri sententiam,



censuitque obligandos Christianos ex gentibus ad abstinendum ab Idolotytis, fornicatione, suffocatis, & sanguine antea Lege prohibitis (c). Jacobi Sententia probatur toti Concilio: *Placuit nobis collectis in unum &c.* & communī judicio causam definiverunt: *Visum est enim nobis &c.* (d) Quod exemplum Apostolorum imitati sunt Patres postmodum in Conciliis communī judicio, nomine, & subscriptione definientes controversias, ut exhibent Acta Conciliorum.

(a) *Supra* §. XIII. (b) v. 10. (c) v. 19.
•o. (d) v. 22. & seq.

* De Episcoporum institutione Tridenti acriter disputatum est integris decem mensibus in Congregationibus præmissis Sessioni XXIII. Vid. Sarpi *della Storia del Concilio di Trento lib. VII. e VIII.* Eam quæstionem moveri mirabatur Ill. Georgius Sincout, sive Zischowid, Episcopus Segnensis ex Ordine Franciscano, atque fervore Illyrico, Si Episcoporum auctoritas, ajebat, non veniat a Deo, neque illa Conciliorum inde poterit derivari; Concilia quippe non sunt, nisi Conventus; & decreta Episcoporum: si humana solum singulis tribuatur auctoritas, collectorum non est major humana: delusum ergo hactenus, inferebat, esse Christianum orbem, quod ei propositum fuerit Concilium Generale privilegio inerrantiae munitum, tanquam certum remedium finiendarum fidei controversiarum, dum potius quæstiones quæ controvertebantur, potuerint terminari auctoritate Romani Pontificis, qui eam ipfis concedit, absque dispendio inutilium expensarum, & absque gravissimo incommodo tot omnis ætatis,

&

& conditionis Episcoporum, qui ex remotissimis terris debuerunt Tridentum convenire: se jam quinque mensibus Tridenti substitisse ea in persuasione, peræque illi Synodo applicandum esse, atque Hierosolymitanæ ab Apostolis celebratæ, illud *Act. XV. 28.* *Visum est Spiritui Sancto, & nobis* “ quod si aliter credidisset, se tam longo, ac diffcili itinere Segnia non fuisse venturum, & si aliter esset, magnum omnino esse ausum illius Conventus, qui humano, eoque fallibili judicio judicans audet a corpore Ecclesiæ abscindere eos, quos putat hæreticos, in eosque vibrare anathematismos speciosa quadam auctoritate.

§. CXXXI.

Frui debent libertate.

Episcopi debent frui res fidei, & morum examinandi, & decidendi libertate. Id intelligimus ex forma Concilii Hierosolymitani *Act. XV.* In eo Concilio commendatur multa Apostolorum, & Seniorum solicitude: “ Cum „ autem magna conquisitio fieret “ (a), quæ manifesto innuit inquirentium libertatem; solicitude enim non patitur consilii, examinis, suffragii impedimenta. Petrus usus est sua libertate, uti conjicimus ex verbis: “ Surgens „ Petrus dixit ad eos &c. “ (b). Ad Petri sententiam confirmandam de suis progressibus apud gentes libere locuti sunt Barnabas, & Paulus: “ Tacuit autem omnis multitudo; & „ audiebat &c. “ (c); tacuit, ne impediret loquentes, audiebat, ut de narratorum pondere arbitri-



arbitraretur. Suum suffragium libere tulit Jacobus: “Ego judico &c.” (d); *ego*, inquietabat, quia ipse judicabat, & libere judicabat: *ego*, inquietabat, quia Petri sententiam plene non probabat: *ego*, inquietabat, quia ceteris iudicij libertatem non adimebat. Demum iudicio Jacobi ceteri acceſſerunt, non auctoritate, aut necessitate, compulsi; sed suffragii æquitate moti, unde repetebant: “Placuit nobis collectis in unum --- visum est nobis &c.” (e)

(e) ¶. 7. (b) ¶. 7. (c) ¶. 12. (d) ¶. 19. (e)
¶. 25. 28.

§. CXXXII.

Idem confirmatur.

Libertatem exemplo Apostolorum adesse debere in Conciliis, semper agnovit Ecclesia; unde dicebat (a) Liberius Papa, in Synodo, solus timor Dei ad omnia sufficit, & Apostolorum institutio; “quæ quoties defuit, toties bonum exitum non sunt nacta Concilia. Est perennis ad infamiam memoria præpotentis Dioscori, cuius inordinationem in Concilio Ephesino II. inde repetit S. Leo (b), quod idem “qui sibi locum principem vindicabat, Sacerdotalem moderationem custodire, “non voluerit, “ut *sicut moris est*, omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo, & æquo constitueretur examine, quod & fidei

“con-

„ congrueret , & errantibus subveniret : “
 quod delectus Episcoporum fuerit habitus,
 vis , & minæ fuerint intentatæ ; prosequitur
 S. Pontifex : “ In ipso autem judicio non om-
 nes , qui convenerant , interfuisse cogno-
 vimus . Nam alios rejectos , alios didici-
 mus intromissos , qui pro supradicti Sacer-
 dotis arbitrio , impiis subscriptionibus cap-
 tivas manus dederunt ; quod nocituri sta-
 tui suo scirent , nisi imperata fecissent . ”

(a) *Apud Athanasium ad Salitarios.* (b) *Epist. ad Theod. Aug. 40.*

* In memoratis supra §. CXXX. Congrega-
 tionibus postremus fuit locutus P. Lainez Ge-
 neralis Jesuitarum , cuius illud singulare argu-
 mentum pro Papali auctoritate minime proba-
 ductum ex formulis : *Sacro approbante Concilio :*
vel, Sacro præsente Concilio, adhibitis in Con-
ciliis Occidentalibus, ex quibus concludebat,
congregari Concilia, non ad decernendum, sed
solum ad communicanda, & promulganda Pon-
tificis decreta, quo quid ineptius spectato stylo
Conciliarum, quibus illæ formulæ incognitæ
erant, & quid magis præjudicium Conciliis,
quæ illas adhibuerunt, dici poterat? Tridenti
Seß. XVII. & sub Pio IV. Seß. I. decernebatur
Concilium celebrandum proponentibus Legatis,
& quanquam proponentibus Legatis fuerit quo-
que celebratum, in Decreto tamen illæ vocu-
læ adeo odiosæ, & Concilii libertati præjudicio-
sæ sunt visæ, ut Legati Hispanici pro Decre-
ti correctione instare non desiterint, quoad
ipsis tandem fuisset satisfactum cap. 25. Seß.
XXIV. de Reform. in eam formam redacto à
Cardi-

Cardinale de Lotharingia, quod non caruit sua Crisi, si fides sit adhibenda Sarpio. Ceterum Conciliorum libertatis Vindices esse Principes Civiles, supra §. CVI. diximus.

§. CXXXIII.

Apostolorum Concilio adstitit Spiritus S.

Apostoli, & Seniores congregati Hierosolymis *Act. XV.* crediderunt, sibi adfistere Spiritum Sanctum; ea enim fide pronunciarunt suam definitionem his formalibus: “*Vixum est Spiritui Sancto, & nobis &c.*” (a); dixerunt: *Vixum est Spiritui Sancto;* igitur illud judicium Spiritus S. crediderunt. Dixerunt item: *Vixum est --- nobis;* igitur illud judicium etiam suum agnoverunt. Suum itaque, & Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus per ipsos, tanquam viva organa, locutus est.

(a) *v. 28:*

§. CXXXIV.

Similiter sibi adfistere, crediderunt Concilia.

Exemplo Apostolorum Patres in Conciliis semper crediderunt, sibi adeste Spiritum S. Sic Arelatenses in sua Synodica (a) ad Silvestrum: “*Placuit ergo, ajunt, praesente Spiritu Sancto &c.*” Patres Concilii CP. III. in sua (b) Synodica ad Agathonem: “*Sic nos, ajunt, Sancto Spiritu illustrati --- infesta dogmata impietatis depulimus --- & cor, de*

„ de nos & lingua & manu convenientes,
 „ omnis erroris expertem, certaque nec fal-
 „ lentem definitionem vivifici Spiritus ope, e-
 „ didimus; “ & per Oratorem in Serm. Accla-
 matorio ad Pogonatum: “ Sed audenter dici-
 „ mus, tanquam per organa Spiritus per nos ---
 „ quod excisum erat, retexuisti. “ Patres
 Concilii Nicæni II. (c) fundamentum suæ de-
 finitionis in eo reponunt: “ Christus despon-
 „ sata sibi sancta sua Catholica Ecclesia ---
 „ hanc se conservaturum promisit, sanctisque
 „ discipulis suis asseverabat dicens: *Vobiscum*
 „ *sum omnibus diebus.* Hanc autem repromis-
 „ sionem, non solum illis donavit, sed etiam
 „ nobis, qui per eos credidimus in nomine
 „ ipsius &c “ qua promissione fundamenti lo-
 „ co posita procedunt ad definitionem: “ *Propter*
 „ *quod Dominus Deus noster --- nos Sacerdo-*
 „ *tii Principes beneficio suo undique convo-*
 „ *cavit, quatenus Deifica Catholicæ Eccle-*
 „ *siæ traditio communi decreto recipiat firmita-*
 „ *tem.* “

(a) *Apud Labbé tom. I. pag. 1426.* (b) *Aet. XVIII. apud Labbé tom. VI.* (c) *Aet. VII. Conc. Nic. Ibid. tom. VII.*

§. CXXXV.

Idem professi sunt Rom. Pontifices.

Idem professi sunt Romani Pontifices.
 Hinc eo argumento Patres Ephesinos confir-
 mabat Cælestinus in sua *Epist.* (a) *ad Synodum:*
 „ *Spi-*

„ Spiritus Sancti testatur *præsentiam congrega-*
 „ *tio Sacerdotum.* Verum est enim; quod
 „ legimus, quia nec potest veritas mentiri,
 „ cuius in Evangelio ista sententia est: *Ubi*
 „ *duo, aut tres congregati fuerunt in nomine meo:*
 „ *ibi & ego sum in medio eorum.* Quod cum
 „ ita sit, si nec huic tam brevi numero Spi-
 „ ritus Sanctus deest: *quanto magis eum nunc*
 „ *interesse credimus,* quando in unum conve-
 „ nit tanta turba Sanctorum, Sanctum nam-
 „ que est pro debita sibi veneratione Conci-
 „ lium, *in quo utique nunc Apostolorum fre-*
 „ *quentissimæ illius, quam legimus, Congre-*
 „ *gationis aspicienda reverentia est.* Nunquam
 „ his defuit Magister, quem receperant præ-
 „ dicandum, adfuit his semper Dominus, &
 „ Magister, sed nec docentes a suo Doctore
 „ deserti sunt unquam &c. “ Eodem argumen-
 „ to opposuit se contra novæ Synodi celebratio-
 „ nem S. Leo *Epist.* (b) *ad Leonem Aug* dum
 affirmat, in Concilio Chalcedonensi “per Spi-
 ritum Sanctum congregato tam plenis, at-
 que perfectis definitionibus cuncta firmata
 esse, ut nihil ei regulæ, *quaæ ex divina in-*
spiratione prolata est, addi possit aut minui.“

(a) *Act. II. Conc. Ephes. apud Labbe tom. III.*
 pag. 614. (b) 115.


§. CXXXVI.

Decreta igitur Conciliorum sunt Oracula Spiritus Sancti.

Definitiones igitur, & decreta Conciliorum statim atque edita sunt, cœlestis Oraculivm habent. Id intelligimus ex sœpe laudato Concilio Hierosolymitano *Act. XV.*, in quo statim atque Patres accesserunt judicio Jacobi, controversiamque definiverunt, cogitaverunt de definitionis executione, decreverunt, re-scribere per Paulum, & Barnabam, ipsisque ad-jungere Judam, & Silam, viros primos in fra-tribus, “qui & ipsi vobis verbis referrent ea-,, dem” (a), quæ scilicet scripto contineban-tur. Utī decretum fuit, ita & effectum est. Missi Apostolici, & Synodales descend erunt Antiochiam, & congregatæ multitudini tradi-derunt Epistolam (b), quam legerunt Antio-cheni, & de definitione, tanquam de *Oraculo di-vino* consolati sunt: “quam cum legissent, ga-,, visi sunt super consolatione,” inquit Sacer (c) Historicus. Eo exemplo decreta cetero-rum Conciliorum suscepta sunt, tanquam ora-cula S. Spiritus.

(a) ¶. 27. (b) ¶. 30. (c) ¶. 31. Adde ¶. 41.
item cap. XVI. ¶. 4.





C A P U T I X.

DE PONTIFICIS JURE CONFIRMANDI CONCILIA.

§. CXXXVII.

Unde non indigent confirmatione Papali.

Unde consequitur definitiones, & decreta Conciliorum non indigere Summi Pontificis confirmatione. Profecto Concilia Apostolorum non confirmavit B. Petrus, neque ejus Successores confirmarunt notanter octo prima Concilia Generalia.

§. CXXXVIII.

Non fuit confirmatum Nicænum I.

Concilium Nicænum I. non fuit confirmatum. Extat quidem *Synodica* (a) illius Concilii ad Silvestrum Papam, quam primum edidit Surius ex vetusto libro Bibliothecæ Conventus Patrum Dominicanorum Coloniensis, & quæ reperitur etiam in antiquis Codicibus MSS. Cresconianæ Collectionis, qua Patres pertinent, ut quicquid constituimus, “precamur versus, stri oris consortio confirmetur.” Verum Eru-
diti passim, uno quasi consensu, eam tanquam supposititiam rejiciunt, & Labbæus in margine illi apponit hanc notam: “Stylus arguit supponitio-

„ sitionem cum temporis nota.“ Ejusdem farinæ est Rescriptum Silvestri ad Synodum, cui ibidem Labbæus apponit hanc notam: “Nec „ sincerius est hoc responsum, quod commen- „ titum, & mendoſiſſimum vere dixeris, & „ non tantum fere, ut ait Binius.“ Suppositio- nem utriusque illius Epistolæ adſtruit Riche- rius (b), & obſervat, Dionyſium Exiguum notaffe quidem hujus Synodi acta omnia fuſſe Romam missa, ſed una monet, *aliud eſſe dicere*, ut ait Dionyſius, *omnia acta Synodi Romam abſolute, & ſimpliſter missa, & afferere conditio- naliter fuſſe illuc missa*, ut a Silvestro proba- rentur, atque ita conſirmarentur, ut robur, & vis illorum omnino ab ejusmodi acceptione, & confirmatione haberetur, prout illa fictitia monumenta indicant; ſed ideo Romam acta illa missa fuerunt, ut Episcopus Romanus more aliorum ſeſe illorum obſervationi, atque ex- ecutioni conformaret.

(a) *Apud Labbē tom. II.* (b) *Lib. I. Hist. Conc. cap. 2. num. 6.*

§. CXXXIX.

Non Constantinopolitanum I.

Extat *Synodica Concilii CP. I.*, quam ſu- pra (a) laudavimus, & ex qua arguunt non- nulli, illios Patres a Damaso petiſſe Synodi confirmationem. Sed ibidem obſervavimus, Patres ſcripſiſſe illam Synodicam ad ſe purgan- dos a querelis, quas contra ſe detulerunt ad

Theodosium Occidentales. Profecto ipsa Synodica est nobis argumento, quod Orientales sui Concilii confirmationem a Damaso non petiverint; 1. eo quod non fuerit scripta ad solum Damasum; sed ad Synodus Romanam, ut appareat ex ejus (b) inscriptione: 2. quod Synodo illi Romanæ minime detulerint tantam auctoritatem, ut voluerint sui Concilii vigorem pendere ab illius judicio, quin illum vigorem jam habere satis significaverint, dum suum *libellum fidei*, seu fidei professionem, vocant *libellum Synodi Universalis* (c): 3. quod insuper a se constitutis petierint quidem ab Occidentalibus consensum, & approbationem, non qua ipsorum definitio firmaretur; sed qua tanquam legitima, & canonica laudaretur, & debito fidei obsequio reciperetur; sic enim aebant in *laud. Synodica*: “Quibus rebus, tanquam legitime, & secundum Ecclesiæ canones a nobis constitutis, obsecramus vestram Reverentiam, ut *congratuletur &c.*” Congratulari solemus de bono perfecto. Perfectam igitur judicarunt suam definitionem, nec ejus firmitatem suspenderunt ab Occidentalium auctoritate, & confirmatione.

(a) §. LV. & LX. (b) Inscrabitur: “Epistola Episcoporum qui Constantinopoli con venerunt, Dominis honoratissimis, & cum primis Reverendissimis fratribus, ac collegis, Damaso, Ambrofio, Brittoni, Valeriano, Acholio, vel Ascholio, Anemio, Basilio, & ceteris Sanctis in magna Urbe Roma

„ Roma convocatis Sanctum Concilium Or-
 „ thodoxorum Episcoporum in ampla Urbe
 „ Constantinopoli congregatum in Domino fa-
 „ ludem. “ Spirat eminentiam præ Occiden-
 talibus.


(c) Sunt verba *ibid.* “Quæ igitur ad fidem
 „ attinent , quam aperte prædicamus , in sum-
 „ ma sunt hujusmodi , de quibus amplius ani-
 „ mis vestris satisfacere poteritis , si tomum Sy-
 „ nodi Antiochenæ , & eum qui superiori anno
 „ Constantinopoli a Synodo Universali est edi-
 „ tus , inspicere dignamini. “ Observa solum
 fidei definitionem fuisse missam Occidentalibus.

* Baronius apud Binium *tom. III. Concil.*
 profert ex libello Photii de 7. *Synodis* verba :
 „ Quibus haud multo post Damasus Episcopus
 „ Romæ eadem confirmans , atque idem sen-
 „ tiens accessit. “ Sed hæc non aliud signifi-
 cant , quam Damasum ad Concilium accessisse ,
 quemadmodum accedunt Conciliorum definitio-
 nibus Episcopi , qui iisdem non interfuerunt ,
 tacito scilicet consensu , suscipiendo , veneran-
 do , exequendo , quæ definita sunt . Vid. quæ
 diximus *supra* §. CXXIV.

§. CXL.

Non Ephesinum.

Patres Ephesini scripserunt quidem *Syno- dicam* (a) ad Cælestinum , in eaque , necesse
 est , ajunt , “ ut omnia , quæ consecuta sunt ,
 „ Sanctitati tuae significantur ; “ sed non ut ro-
 bur adderet definitis ; sed ut eadem cognosce-
 ret duntaxat , executionique mandaret , unde
 addunt : “ Ut autem omnia , quæ gesta sunt ,



„ clare cognoscas , etiam commentarios misimus,
 „ & Synodi subscriptiones.“ Nec verbum
 legitur, quo petiissent Synodi confirmationem.

(a) *Act. V. apud Labbé tom. III. pag. 659.*

§. CXLI.

*Chalcedonense petiit confirmationem solius
 Can. XXVIII.*

Patres Concilii Constantinopolitani I. de-
 creverant can. *III.*, ut “Constantinopolitanus
 „ Episcopus habeat prioris honoris partes post
 „ Romanum Episcopum eo quod sit ipsa no-
 „ va Roma.“ Chalcedonenses eandem præ-
 rogativam Episcopi CP. *Act. XV.* absentibus
 Legatis Romanis can. *XXVIII.* confirmarunt,
 & cum *Act. XVI.* relegeretur, Romani con-
 tradixerunt, tanquam canoni adversanti Nicæ-
 nis canonibus, & quum vidissent, se contra-
 dicendo nihil proficere , postularunt, ut sua
contradiccio gestis inhæreat, & protestati sunt,
 se ad Papam relatuos. Chalcedonenses itaque
 scripserunt *Synodicam* (a) ad Leonem, in ea-
 que retulerunt Pontifici, quæ ad fidem , fi-
 deique causam , & Dioscori depositionem per-
 tinebant, & uti insipientibus patet, eorum
 nullam confirmationem petiverunt, quod in iis
 definiendis Leonem in ipsius Epistola ad Sy-
 nodum prælucentem , “ut membris caput præ-
 sidentem, ac spiritu præsentem , ac pene in
 suis Legatis visum“ habuissent. Retulerunt
 dein.

deinde, quæ de prærogativa Episcopi CP. stabiliverunt *can. XXVIII.*, & eorum duntaxat ratihabitionem, confirmationemque petiverunt, eo quod ipsius Legati repugnaverint: “Qui „ enim locum, inquiebant, vestræ Sanctitatis „ obtinent . . . his ita constitutis vehementer „ resistere tentarunt . . . Rogamus igitur & „ tuis decretis nostrum honora judicium. “ Ju-
dicio igitur Patrum Chalcedonensium, quæ communi consensu decreta fuerunt, Pontificis novo non indiguerunt consensu, decreto, & confirmatione.

(a) *Apud Labbē tom. IV. & post Leonis Epist. 77.*

§. CXLII.

Quod non obest principiis stabilitis.

Neque inferas, vel ita consequi, Romanum Pontificem habere auctoritatem confirmatorum Conciliorum, quum absque ipsius auctoritate canones non valeant, immo ab ipso ex *Beati Petri auctoritate cassentur*. Nam subinde, uti & hic in casu, Conciliis deest Oecumenicitas ob dissensum etiam paucorum, & licet dissentire, quoties Concilia canonice non procedunt. Canonice agunt Concilia, dum, exigen-
te necessitate, vel gravi Ecclesiæ utilitate, vin-
dicant fidem, morumque disciplinam, & pro-
movent Ecclesiæ unitatem. Orientales *can.*
XXVIII. Chalcedonensi non providebant si-

dei, non reformationi morum, non schismati, sed infringebant non pridem stabilitum Nicænum canonem VI.; immo & Constantinopolitanum canonem II.; contra illum canonem elevantes Constantinopolitanum supra Alexandrinum, Antiochenum Episcopos; contra istum vero extenderentes ipsius jurisdictionem extra Thraciam per Asiac, & Ponti Diœses, eo motivo, ut augerent splendorem Episcopi CP., & indulgerent Principi id expetenti. Licuit igitur in eo punto refragari Chalcedonensibus, censuit Leo, sibi esse refragandum, quod, ut pote Primas Ecclesiæ, esset Vindex Canonum, neque intelligeret, adesse causam derogandi iisdem. Canon igitur Chalcedonensis non ideo caruit suo effectu, quod Concilio Generali defuisse auctoritas decernendi, quod decerni canonice poterat; sed quod Concilio Chalcedonensi *in punto Canonis* defuerit Oecumenicitas tum ob dissensum expressum Occidentalium, tum fors ob causæ legitimæ defectum. Hinc Occidentalium postulabant consensum.

* Collige ex hoc facto Ecclesiæ Romanæ olim studium inviolabilis custodiæ Canonum. Canoni XXVIII. Chalcedonensi immutabiliter se opposuit S. Leo, ut patet ex ipsius Epistolis 78. 80. 81. 84. 87. 101. Edit. Quenellii, cuius constantia vietus Anatolius Episcopus CP. a jure illius canonis videtur abstinuisse, uti colligimus ex ipsius Epist. ad Leonem Papam post Leonis Epist. 105. Illi prærogativæ Constantinopolitanorum se opposuerunt etiam alii Pontifices ex zelo disciplinæ, uti potius arbitror;

tror; sed se opposuerunt etiam fors ex consilio politico; intelligebant enim, esse quidem de jure divino Primatum in Ecclesia; attamen æque de jure divino illum nou esse penes Romanos Episcopos; consequenter intelligebant, a gradu secundo proxime ascendi ad primum, posseque Episcopo Græco suboriri appetitum Primatus cum exclusione Episcopi Romani. Illa tandem prærogativa Patriarchæ CP. agnita est a Latinis *can. V.* Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. quando, spectatis decrementis Græccrum, & incrementis Romanorum ipsis nihil restabat timendum.

§. CXLIII.

Sicuti nec consequens Confirmatio Leonis.

Confirmavit quidem S. Leo Synodum Chalcedonensem quoad fidei definitionem; attamen id non est factum propterea, quod Concilia *absolute* indigerent Papali confirmatione; sed quod propter novi casus emergentiam expediret novus consensus Leonis Synodo Chalcedonensi. Nam Anatolius, ardens ira in Leonem, ceu auctorem, a quo fuit impedita sua exaltatio supra Patriarchas Orientis, non solum Epistolam Leonis ad se datam, qua suam arrogantiam reprehendebat, suppressit; sed insuper occultis technis in eum insurrexit, primo clam, dein palam spargendo, quod Synodum Chalcedonensem respueret. Cui particulo ru mori, ut mature obviam iret Marcianus Imp., petiit (a), ut Leo publicis literis Synodum

confirmaret; quod fecit Leo *Epist.* (b) *ad Episcopos*, qui in *Synodo Chalcedonensi* congregati fuerant, in qua, “Ne ergo, ait, per malignos *Interpretes* dubitabile videatur, utrum quæ in *Synodo Chalcedonensi* per unanimitatem vestram *de fide* statuta sunt, approbem, hæc ad omnes fratres & coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta dixeri, quæ Gloriosissimus & Clementissimus Princeps, sicut poposcit, in notitiam vestram mittere pro Catholicæ fidei amore dignabitur, ut & fraterna universitas & omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium, propriam vobiscum iniisse sententiam: in sola videlicet causa fidei &c.” Igitur si malignorum Interpretum non fuisset os claudendum: si de suo consensu non fuisset dubitatum: si Imperator non poposcisset; Leo non declarasset illa Epistola suum consensum. Igitur teste Leone, Synodis non est *absolute necessaria confirmatio Papalis.*

(a) *Epist. post Leonis Epist.* 88. (b) 87.

* Inquies, quod ædificas, ruit: Igitur rumor, quod Leo non probaverit Synodum etiam quoad res fidei, potuit derogare Synodi auctoritati: ergo judicatum est, a Pontificis consensu pendere Synodi auctoritatem. 2. Leo probabat Synodum notanter quoad *solam causam fidei*: ergo ruit tota disciplina statuta ab illa Synodo ob defectum solius consensus Pontifi-

tificii. Verum non perspicis, unam esse fidem, unamque fidei professionem in Ecclesia; proinde posse vel unum Episcopum quemcumque derogare auctoritati cuiuslibet Synodi, si eidem liceat, salva communione, & gradu, Synodo refragari; quanto magis fuisset derogatum auctoritati Synodi Chalcedonensis, si ejus definitio adeo non fuisset Universalis, neque una, ut impune, servato gradu, ei refragaretur Primas Ecclesiarum, qui centrum est unitatis; hinc fuit necesse, ipsum obsequi definitionibus, declarare suum consensum, id exigente & Synodi auctoritate & fidei unitate. 2. Declaravit se Leo quoad solam fidei causam ex multiplici ratione; primum quod tantum poposcisset Imperator, & exegisset hæresis Eutychiana, propter quam habita fuit Synodus, & nihil amplius; deinde ne similiter approbando canones disciplinæ cogeretur approbare *can. XXVIII.*, quem non patiebatur, vel illum reprobando publica Epistola approbatis reliquis exulceraret magis Anatolium, offenderet item Imperatorem, qui eum honorem Episcopo suæ Urbis expetebat. Profecto pertinebat ad disciplinam depositio Dioscori; quis tamen dixerit, eam fuisse reprobatam a Leone, eo quod se pro sola fidei causa declaraverit?

§. CXLIV.

Confirmatoria Synodi V. aliis est supposititia.

Extat apud Collectores Conciliorum, lapud Labbé (a) *in fragmentis ad V. Synodum Epistola Decretalis Vigilii Papæ pro confirmatione Synodi V.* Eandem refert Harduinus (b), & in margine ad ipsam notat: „supposititiam es-
„, se

„ se hanc Epistolam probari a Joanne Garnerio
„ Soc. Jesu in notis ad Breviarium Liberati.“

(a) *Tom. V. pag. 595. ex MS. Codice Bibliothecæ Regie.* (b) *Tom. III. Col. 213.*

§. CXLV.

Aliis authentica.

Eandem esse authenticam, affirmat Natalis Alexander (a). Scribit, ipsam fuisse a Dno. Petro de Marca in lucem editam ex Regia Bibliotheca; fuisse vero exscriptam ex MS. quod jam ab anno 753. servabatur in veteri Bibliotheca Ecclesiæ Romanæ; a Leone Cinnomo homine græco anno 1276., & ab eodem repositam in Bibliotheca Imperiali Græcorum cum aliis pluribus, & præsertim Actis Synodi V., quibus subiecta fuit.

(a) *In Synopsi Hist. Eccl. Sec. IV. cap. 2. art. 9.*

§. CXLVI.

Non obstat.

Demus, esse authenticam, non præjudicat principiis positis. Nam in casu Synodi V. occurrabant singulares circumstantiæ, quæ postulabant illam Vigilii Decretalem. Fuit enim Synodus V. celebrata, renitente Papa. Ipsius contradictio non fuit irreprehensibilis, attamen neque extremis remediis corrigenda, quod bona fide restitisset; neque toleranda, quod schif-

schisma induceret. Oportuit igitur Pontificem
 instrui, recognoscere errorem, præstare con-
 sensum Synodo, quem subtrahendo schisma in-
 ducebat, dare communionem Patribus, qui il-
 lam celebraverant, quod præstitit sua Decre-
 tali. Istud consilium illius Decretalis ex ipsa
 intelligitur; in ea enim data ad *Eutychium*, &
præjacentem Synodus Vigilius minime confir-
 mat *Synodus V.*, aut dat robur definitis; sed
 recepit duntaxat ejusdem definitionem profiten-
 do, quod *Synodus* definivit: “ Unde con-
 „ demnamus, & anathematizamus - - - Theo-
 „ dorum olim Mopsvestiæ Episcopum, &
 „ impia ejus scripta, - - - Epistolam ad Ma-
 „ rim Persam hæreticum, quæ ab Iba scripta
 „ dicitur - - - & quæcumque impie Theodo-
 „ retus scripsit; “ & declaravit, se commu-
 „ nionem habere cum iis, qui eam *Synodus*,
 vel celebraverunt, vel probabant: “ Quoscum-
 „ que vero, qui rectam fidem servantes - - -
 „ memorata Tria Capitula condemnaverunt,
 „ vel etiam condemnant, fratres, & consa-
 „ cerdotes esse definimus; “ tum retractavit
 omnem suam contradictionem, qua illi *Syno-*
do restitit: “ Quæ vero aut *a me*, aut ab aliis
 „ ad defensionem prædictorum Trium Capitu-
 „ lorum facta sunt, præsentis hujus Scripti
 „ definitione evacuamus.“ Ita Vigilius. Igi-
 tur Constantinopolitani, si authentica est illa E-
 pistola, schisma tolli solum expetiverunt, &
 sua declaratione, & reditu ad sanam mentem
 sustulit Pontifex.

§. CXLVII.

Non obstat petitio Synodi VI.

Patres Synodi CP. III. in sua *Synodica ad Agathonem* scribebant: “Orthodoxæ autem filii dei splendidam lucem vobiscum clare prædicavimus: quam *ut iterum* per honorabilia vestra Rescripta *confirmetis*, vestram oramus paternam Sanctitatem.” Verum recollige, quæ supra (a) ex eadem *Synodica laudavimus*. In eadem pagina sibi contradixisse illos Patres, non assentior. Ibidem laudarunt suam definitionem irrefragabilem, certam, & tanquam oraculum Spiritus Sancti: igitur petiverunt solum *novum testimonium observantiæ, executionis, uti innuunt verba: Ut iterum - - - confirmetis, intimandæ per Rescripta Ecclesiæ Occidentis, uti postea petiverunt Patres Concilii CP. IV.* (b)

(a) §. CXXXIV. (b) *Infra* §. CLI.

§. CXLVIII.

Non suffragium Imperatoris.

Iidem Patres supplicarunt etiam Imperatori, ut, mortuo interea Agathone, scriberet ad ejus Successorem Leonem II., ut ex Diva (a) Constantini ad eundem intelligimus: “Omnes vero *scriptis precibus Serenitatem nostram communiter precati sunt; ut eos ad vestram Beatitudinem mitteremus,* “ Legatos scilicet. Sed causa supplicandi fuit, quod timuerint, ne

Maca-

Macarius Episcopus Antiochenus, quem cum ejus hæreleos sociis Pontificali habitu nudaverant, Leoni novo Pontifici imponerent, seque illegitime damnatos persuaderent; sicque Pontifex male informatus decretorum executioni impedimenta poneret, pacem turbaret, quæ erat restituta. Id consilii intelligimus ex laud. *Diva Imperatoris*, qua Pontifici significat seriem Actorum, condemnationem Macarii, & sociorum, quorum causam permittit quidem ipsius judicio; sed etiam significat, se definitioni subscrispsisse, eamque suis Edictis sancivisse. Jam quorsum hæc scribebat Imperator; nisi ut auctoritate sua Pontificem de Actorum legitimitate edoceret, & ab aliquid innovando deterreret? Similem Constantinus misit per Legatos *Divinam Jussionem* (b) ad Synodum Romanam, qua non robur definitis petebat, sed significabat, se Concilii definitioni subscrispsisse, & illam per pia Edicta sua comprobavisse; proinde innuebat, se velle observantiam, & executionem.

(a) *Missa per Legatos Romam apud Labbē tom VI. p. 1100.* (b) *Ibid. p. 1104.*

§. CXLIX.

Non Relatio Leonis.

Ad Synodicam Patrum, & Divam Imperatoris Leo II. dedit *Relationem* (a) ad eundem confirmatoriam Synodi VI., quæ adeo non obest, ut confirmet potius hactenus dicta. Nam Ponti-

Pontifex inhæsive ad Synodicam Patrum, & Imperatoris Divam confitetur, errorem & Synodali sententia & Edicto Imperiali esse expunctum, & duntaxat quod reliquum erat, Synodo præstat obsequium receptionis, consensus, obedientiæ, & executionis, uti ex dicta Relatione appareret: “*Synodali igitur sententia*, ait,
 „ & *Imperialis Edicli censura*, tanquam anci-
 „ piti Spiritus gladio, cum priscis hæresibus
 „ etiam novæ pravitatis error expunctus est. --
 „ Idcirco & nos & per nostrum officium hæc
 „ veneranda Sedes Apostolica concorditer ac
 „ unanimiter his, quæ definita sunt ab ea, con-
 „ sentit, & Beati Petri auctoritate *confirmat*, si-
 „ cut supra solidam petram, qui Christus est,
 „ ab ipso *Domino adeptis* firmitatem. Propterea
 „ sicut *suscepimus*, atque firmiter *prædicamus*
 „ Sancta quinque Universalia Concilia - - - ita
 „ & quod nuper in Regia Urbe pio vestræ Se-
 „ renitatis annisu celebratum Sanctum sextum
 „ Concilium, ut eorum pedissequum & ea in-
 „ terpretans, pari *veneratione* atque *censura sus-
 „ cipimus*, & hoc cum eis digne connumerari
 „ tanquam una & æquali Dei gratia congrega-
 „ gatum decernimus &c.”

(a) *Apud Labbē tom. VI. pag. 1109.*

* Legimus quidem in eadem Relatione Leonem nonnisi, postquam Acta examinasset, consensum, & executionis decretum dedisse:
 „ Igitur gestorum Synodalium seriem recen-
 „ sentes, curiosaque diligentia singula, quæ
 „ que gesta sunt, flagitantes eadem quæ Apo-
 „ stoli-

„ stolicæ Sedis Legati naraverant , scriptis
 „ consonantibus convenire reperimus &c. “
 Sed illud examen non nocet auctoritati Con-
 ciliarum. Certe quum Hispani non interfuis-
 sent Occidentali Synodo sub Agathone habitæ,
 & præmissæ illi Concilio VI., neque fuissent
 vocati ad ipsum Concilium VI.; Leo II., de
 quo loquimur , ad Hispanos scripsit Epistolam,
 simul definitionem Sanctæ fidei, & acclama-
 nes mittit ; acta quoque totius Concilii direc-
 turus , si ipsis delectarentur ; Quæ cum recepissent,
 sub Leonis Successore Benedicto II. placuit ce-
 lebrare totius Hispaniæ Concilium Generale, To-
 letanum XIV., in quo decretum est : “ Gestæ
 „ synodalia , & cum gestis quoque Leonis an-
 „ tiquæ Romæ Pontificis invitatoria Epistolaris
 „ gratiæ consulta suscepimus ; qua Epistola Præ-
 „ sules Hispaniæ invitati erant , ut prædicia
 „ Synodalia instituta nostri vigoris manerent
 „ auctoritate suffulta ; ” ast nonnisi “ post-
 „ quam, ut ajunt , Synodica iterum examinatione
 „ decocta , vel communi Conciliarum omnium
 „ judicio fuerint comprobata. ” Vid. Ill. Bos-
 suet Defens. Declar. Cleri Gallic. part. 3. lib. 7.
 cap. 29. Jam examen Hispanorum non deroga-
 vit auctoritati Synodi VI., nec eidem addidit
 robur ipsorum confirmatio ; similiter igitur ne-
 que Leonis II.

Sed inquires : hæc nimium probant ; conse-
 quitur enim non solum Pontificis , sed etiam
 particularium Synodorum exanimi , & judicio
 subjacere Concilia Generalia. Respondeo, Uni-
 versalium Conciliarum , quæ ut talia agnita
 sunt , doctrinam , ac fidem nemo unquam ex-
 amini . aut retractationi submisit ; hinc observat
 Ill. Bossuet , Hispanos examinasse quidem Acta
 Synodi VI., sed simul studiose abstinuisse a vo-
 canda tanquam Generali , antequam illam ap-


Pontifex inhæsive ad Synodicam Patrum, & Imperatoris Divam confitetur, errorem & Synodali sententia & Edicto Imperiali esse expunctum, & duntaxat quod reliquum erat, Synodo præstat obsequium receptionis, consensus, obedientiæ, & executionis, uti ex dicta *Relatione* appareret: “*Synodali* igitur *sententia*, ait,
 „ & *Imperialis* *Edicli* censura, tanquam anci-
 „ piti Spiritus gladio, cum priscis hæresibus
 „ etiam novæ pravitatis error expunctus est. --
 „ Idcirco & nos & per nostrum officium hæc
 „ veneranda Sedes Apostolica concorditer ac
 „ unanimiter his, quæ definita sunt ab ea, *con-*
 „ *sentit*, & Beati Petri auctoritate *confirmat*, si-
 „ cut supra solidam petram, qui Christus est,
 „ *ab ipso Domino adeptis* *firmitatem*. Propterea
 „ sicut suscepimus, atque firmiter *prædicamus*
 „ Sancta quinque Universalia Concilia - - - ita
 „ & quod nuper in Regia Urbe pio vestræ Se-
 „ renitatis annisu celebratum Sanctum sextum
 „ Concilium, ut eorum pedissequum & ea in-
 „ terpretans, pari veneratione atque *censura sus-*
 „ *cipimus*, & hoc cum eis digne connumerari
 „ tanquam una & æquali Dei gratia congrega-
 „ gatum decernimus &c.”

(a) *Apud Labbé tom. VI. pag. 1109.*

* Legimus quidem in eadem *Relatione* Leonem nonnisi, postquam Acta examinasset, consensum, & executionis decretum dedisse:
 „ Igitur gestorum Synodalium seriem recen-
 „ fentes, curiosaque diligentia singula, quæ-
 „ que gesta sunt, flagitantes eadem quæ Apo-
 „ stoli-

„ stolicæ Sedis Legati narraverant , scriptis
 „ consonantibus convenire reperimus &c. “
 Sed illud examen non nocet auctoritati Con-
 ciliarum. Certe quum Hispani non interfuis-
 sent Occidentali Synodo sub Agathone habitæ,
 & præmissæ illi Concilio VI., neque fuissent
 vocati ad ipsum Concilium VI.; Leo II., de
 quo loquimur, ad Hispanos scripsit Epistolam,
 simul definitionem Sanctæ fidei, & acclamatio-
 nes mittit; acta quoque totius Concilii directu-
 rus, si ipsis delectarentur; Quæ cum recepissent,
 sub Leonis Successore Benedicto II. placuit ce-
 lebrare totius Hispaniæ Concilium Generale, To-
 letanum XIV., in quo decretum est: “ Gestæ
 „ synodalia, & cum gestis quoque Leonis an-
 „ tiquæ Romæ Pontificis invitatoria Epistolaris
 „ gratiæ consulta suscepimus; qua Epistola Præ-
 „ fules Hispaniæ invitati erant, ut prædictæ
 „ Synodalia instituta nostri vigoris manerent
 „ auctoritate suffulta; “ ast nonnisi “ post-
 „ quam, ut ajunt, Synodica iterum examinatione
 „ decocta, vel communi Conciliorum omnium
 „ judicio fuerint comprobata. “ Vid. Ill. Bos-
 suet Defens. Declar. Cleri Gallic. part. 3. lib. 7.
 cap. 29. Jam examen Hispanorum non deroga-
 vit auctoritati Synodi VI., nec eidem addidit
 robur ipsorum confirmatio; similiter igitur ne-
 que Leonis II.

Sed inquires: hæc nimium probant; conse-
 quitur enim non solum Pontificis, sed etiam
 particularium Synodorum exanimi, & judicio
 subjacere Concilia Generalia. Respondeo, Uni-
 versalium Conciliorum, quæ ut talia agnita
 sunt, doctrinam, ac fidem nemo unquam ex-
 amini, aut retractationi submisit; hinc observat
 Ill. Bossuet, Hispanos examinasse quidem Acta
 Synodi VI., sed simul studiose abstinuisse a vo-
 canda tanquam Generali, antequam illam ap-



probassent. Priusquam vero recipiantur Synodi Generales, non dedecet illas examinari; expedit potius, 1. quod auctoritas Ecclesiæ exercetur per persuasibilis doctrinæ sermonem: igitur debemus quidem intellectum subjecere in obsequium auctoritatis; sed nonnisi instructi; instruimur vero examine definitorum: rite ergo examinatur definita: 2. quod Conciliorum acceptatio, & executio consequens sanet quoscumque defectus in ipsis commissos, nosque reddat certos de definitorum veritate; vid. meam Diff. de Fontib. Theol. §. LXXVII. sed si cæce, & absque prævio examine Synodos recipiamus; non majus argumentum veritatis suppeditabit executio, quam celebratio Conciliorum: igitur recte examinantur Concilia ante receptionem. Ceterum in verbo Confirmationis vim non esse ponendam, docet multis Ill. Bossuet ibid. lib. 8. cap. 2. & seq.

§. CL.

Nicæni II. confirmatio, nec petita, nec data est.

Post Concilium Nicænum II. Tharasius CP. dedit quidem Epistolam ad Hadrianum Papam (a), sed est adnumeranda Epistolis, quæ *Synodi relationes* appellantur. Refert Acta, & Actorum executionem in Oriente; sed nec verbum apparet, quo peteret confirmationem. Hadrianus I. suscepit quidem illud Concilium; attamen solenni aliquo testimonio, aut Rescripto ad Imperatorem, vel ad omnes Ecclesias nunquam laudavit, ut ipse testatur in


in *Epistola Apologetica* pro cultu imaginum ad Carolum Magnum: “Nos vero adhuc pro ea-
,, dem Synodo nullum Responsum hactenus
,, eidem Imperatori reddidimus, metuentes
,, ne ad eorum reverterentur errorem,“ scilicet Iconomachorum. Eandem Synodus neque Galli, neque Britanni multo tempore suscepserunt. Fuit celebrata anno 787., & anno 863: Nicolaus I., & cum ipso Synodus Romana sex tantum numeravit Synodos Generales: “Auctoritate Principum Apostolorum Petri, & Pauli, atque venerandorum sex Universalium Conciliorum, omni charitatis officio exutus sit.“ (b) Igitur nondum Synodo VII. tunc reddebat obsequium, veneratio, obedientia; sed subinde sensim apud Occidentales Oecumenicitatem executionis consecuta est.

(a) *Apud Labbe tom. VII. (b) Vid. Natal. Alex. Diss. VI. §. 8. in Hist. Eccl. Sec. VIII.*

§. CLI.

Synodus VIII. demandavit solum execu-
tionem.

Patres Concilii CP. IV. dederunt Synodicam Epistolam Encyclicam, seu *Synodi Relationem*, ad Episcopos universos Christi fideles. Dederunt similiter ad Hadrianum Papam II., qua illi commendabant Synodi receptionem, publicationem, confirmationem, qua



non robur Synodo, sed executio, & debita observantia accederet, uti legentibus obvie apparet; inquit enim : “ Igitur libenter op-
 „ pido & grataanter imitatrice Dei *Sanctitate*
 „ *vestra* omnium nostrum Conventum, & Uni-
 „ versalis hujus, atque Catholicæ Synodi con-
 „ sensum & consonantiam *recipiente*, *prædica*
 „ eam magis, ac veluti propriam & sollicitius
 „ *confirma* coangelicis *præceptionibus*, & *admo-*
 „ *nitionibus* vestris, ut *per sapientissimum magi-*
 „ *sterium vestrum etiam aliis Universis Eccle-*
 „ *siis personet*, & *fusciptiatur* veritatis verbum,
 „ & *justitiæ decretum*. ” (a) Est enim Papa
 etiam Patriarcha Occidentis, ut Patriarchæ
 commendabatur, ut Synodi illius decretum
 communicaret Occidentalibus, quæ ei sub-
 sunt, Ecclesiis.

(a) Refertur *Act. X. apud Labbe tom. VIII.*

§. CLII.

Etsi non obesset Confirmatio.

Habetur Hadriani II. Epistola ad Basiliū
 Imp. de receptione Synodi VIII., in qua ni-
 hil est, quo ea Synodus quasi nullum prius
 vigorem habuisset, firmaretur. Sed esto,
 quod Patres ad plenam firmitatem illius Syno-
 di petiverint confirmationem, seu consensum
 Pontificis, & Pontifex illum dederit; non
 obstat nostris principiis; nam ex causa emer-
 gente ad plenam unanimitatem, & consensum
 potest.

poterat videri deesse consensus Pontificis. Igitur ad tollendum omne dubium Patres illum consensum petere, & Pontifex dare poterat, præsertim cum de re disciplinari ageretur in illa Synodo, in qua major consensio commendatur.

* Casus erat, quod antequam Legati Pontificii subscriberent Synodo, quia Græcam linguam non callebant, timebant autem deceptionem, & fraudem aliquam in Actis, voluerint ea revideri ab Anastasio Bibliothecario Sedis Apostolicæ, Anastasius non poterat legere in Epistola Hadriani textum, qui laudem Imperatoris continebat; quamobrem Legati summis clamoribus conquerebantur, Epistolam Hadriani fuisse fraudulenter corrosam, protestantes se nullo modo subscripturos Synodalibus Actionibus, nisi totius Epistolæ integritas gestis Synodis jungeretur. Hoc modo Romanis certantibus, Græcis vero, non esse in Synodo de laude Imperatoris, sed de solius Dei gloria tractandum, altisone respondentibus, tandem conventum est, ut interposita conditione voluntatis Apostolicæ subscriberent definitis sententiis minus definite; unde hac formula subscriptissime leguntur Act. X. “Ego - - - locum obti-
„ nens Domini mei Hadriani Summi Pontificis
„ & Universalis Papæ, omnia quæ superius le-
„ guntur, huic Sanctæ & Universalis Synodo
„ præsidens, usque ad voluntatem ejusdem exi-
„ mi Præfulis promulgavi, & manu propria
„ subscripsi.” Ad hanc conditionem purifi-
candam poterat videri necessarius consensus Pontificis. Ceterum non mirare, quod tam levi cavillationi Romanorum tunc detulerint Græci; etenim declinante Græcorum Imperio,

diffimularunt & alios fastus auctæ tunc potentiaæ Pontificiæ; uti sunt, quod Hadrianus jusserrit Imperatorem convocare illud Concilium: quod Romani se subscriperint Legatos Universalis Papæ titulo splendido, quem Magnus Gregorius non minus politice, quam religiose a se rejecerat, dum egisset cum Græcis robustioribus, ne scilicet exemplo suo similis titulaturæ appetitum vehementiorem Episcopis Constantiopolitanis moveret, quando appetitui Græcorum reprimendo sibi non erant vires pares.

§. CLIII.

Cautela circa Concilia Occidentis.

Quod attinet hactenus sparsa principia, quæres, quid universim sit sentiendum, si qua fors adversa in Synodis Occidentalibus occurrant? Respondeo, esse duas regulas attente observandas; prima est: Ne putas, omnia esse Conciliorum decreta, & definitiones, quæ insunt Actis, & Decretis Conciliorum (a). Altera est: Ut reflectas, Concilia Occidentalia fuisse celebrata post incrementa Papatus Romani. Enimvero post invectas imposturas Ifidorianas, post obfuscationem, & caliginem genuinorum jurium Ecclesiæ non poterant non cœspitare agentes; quanquam fidenter affirmem, salvam semper perseverasse veram fideli, & morum doctrinam.

(a) *Vid. meam Diff. de Fontib. Theol. §. LXVII.*
& seq.

§. CLIV.

§. CLIV.

Aliquis nullo colere poterat dari confirmatio.

In Conciliis Occidentalibus, quibus Papa ipse præfuit, Lateranensibus, Lugdunensibus, Viennensi, Florentino, Decreta lata sunt auctoritate Pontificis, *Sacro approbante*, vel *præsente Concio*; unde quum crederent, Papæ auctoritatem non esse majorem extra Concilium, & nemine inspectante, quam in Concilio, & in conspectu Patrum, nullo colore illis Conciliis poterat addi, neque addita est nova quædam extraconciliaris confirmatio.

§. CLV.

Aliquis data est confirmatio executionis.

Confirmatio, quæ data est Synodis Pisanæ, Constantiensi, Basileensi, debet accipi pro testimonio reverentiæ, obedientiæ, executionis, & ratihabitionis debitæ Conciliis, & non pro judicio, quo firmaretur, quod antea infirmum esset. Ita accipi debet confirmatio Synodi Pisanæ; nam alias si antequam confirmaretur ab Alexandro V., non fuisset firma, & valida; tunc depositio *Sess. XV.* *Benedicti XIII.* & *Gregorii XII.* infirma, & invalida fuisset, uti & consequens electio *Alexandri V.* Ita accipi debet confirmatio Synodi Constantiensis, nisi velimus invalidam

M 4 fuisse

fuisse depositionem Joannis XXIII. *Sess. XII.*
 abdicationem Georgii XII. *Sess. XIV.*, depo-
 sitionem, & excommunicationem Benedicti
 XIII. *Sess. XXXVII.*, damnationem Wicleffi
Sess. VIII. Joannis Hussii *Sess. XV.* Hiero-
 nymi Pragensis *Sess. XXI.* iniquam executio-
 nem sententiæ, & combustionem Hieronymi
 Pragensis, & Joannis Hussii, quæ facta est
 ante confirmationem Pontificiam, quæ robur
 debuisset dare definitis: nisi velimus, invali-
 dam fuisse creationem Pontificis Martini V.
Sess. XLI., quæ non potuit esse valida, ni-
 si valida fuerit antecedens in ceteros senten-
 tia. Ita accipi debet confirmatio eorum, quæ
 Synodus Basileensis egit primis sedecim Sessio-
 nibus, reluctante, & contradicente Eugenio
 IV.; nam alias quomodo Eugenius *Sess. XVI.*
 declarasset, illud “Generale Concilium Basi-
 leense *legitime* inchoatum, a tempore præ-
 dictæ inchoationis suæ *legitime* continuatum
 fuisse - - - perinde ac si nulla dissolutio fa-
 cta fuisset; “ si Conciliorum auctoritas es-
 set a Pontifice? quomodo factum potest esse
 legitimum, quod exercetur contra legitimam
 potestatem? quomodo omnes quascumque
 suas literas, gesta, decreta “in præjudicium,
 aut derogationem prædicti Sacri Concilii
 Basileensis, seu contra ejus auctoritatem fa-
 cta, & attentata, seu asserta nulla & irrita
 fuisse, & esse “declarasset; si ex supposi-
 to nulla est auctoritas Conciliorum, nisi a Pa-
 pa sibi concedatur?

§.

§. CLVI.

Tridentino fuit petita, & data Confirmatio.

In fine Sess. XXV. Concilii Tridentini legimus : "Patres, placetne vobis, ut - - - omnium, & singulorum, quæ tam sub fel. rec. Paulo III. & Julio III., quam sub SS. D. N. Pio IV. Romanis Pontificibus in ea decreta, & definita sunt, confirmatio nomine Sanctæ hujus Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos & Præsidentes a Beatissimo Rom. Pontifice petatur ? Responderunt : Placet. " Suam commissionem executi sunt Legati Cardinales Moronus, & Simoneta in Concistorio Secreto Romæ die 26. Januarii 1564. Pius IV. eadem die Synodum confirmavit Bulla : *Benedictus Deus*, in qua notanter legimus : "Cum autem ipsa Sancta Synodus pro sua erga Sedem Apostolicam reverentia, antiquorum etiam Conciliorum vestigiis inhærens, decretorum suorum omnium - - - confirmationem a nobis petierit - - - Nos - - - in Concistorio nostro Secreto illa omnia & singula auctoritate Apostolica ho- die confirmavimus; & ab omnibus Christi fidelibus suscipienda, ac servanda esse de- crevimus."

* Ea Sessio habita fuit die 4. Decembris 1563., deliberatio vero petendæ confirmationis facta est die 20. Novembris 1563. Archiepisco-

pus Granatensis monuit posse præjudicari auctoritati decretorum sub Paulo III. & Julio III. si ipsorum etiam confirmatio peteretur, dum absque illa prævia Confirmatione executionem ipsorum commendaverit Synodus Sess. XVI. & ult. sub Julio III. in Decreto Suspensionis Concilii die 28. Novembris 1552., cui respondit Archiepiscopus Hydruntinus, Decretum illud favere potius, quod in eo Patres exhortarentur, & non mandarent executionem, ad quod subticuit Granatensis, & Patres consenserunt in petendam confirmationem. Vid. Sarpi lib. 8. della Storia. Sed Hydruntino poterat reponi, leges & decreta non cessare esse talia propria, quod ad ipsorum observantiam hortemur. Jam quæ præcesserunt Sessionem XVI., absoluto judicio decreta erant, & non hypothatico, & sub conditione Pontificii consensus. Ergo ex mente Patrum vim habebant decretorum, & definitionum, ipsis debebatur executio, nec obstabat, quod Synodus illam solum commendaverit.


§. CLVII.

Quid de illa sentiendum.

Arbitror, illam petitionem confirmationis fuisse effectum præjudicii, quo non pauci Patres Tridenti crediderunt, Episcoporum auctoritatem esse a Papa; proinde non inficior, eosdem, multos saltem, consenisse in petendam confirmationem, qua robur accederet definitis; sed sic disponente divino Spiritu, sicut alibi sc̄epe, sic ibidem illi decreto non est insertum confilium, quo petebant confirmationem.

firmationem ; quin immo a Decreto transiverunt ad Acclamations, quibus emendarunt, siquod erroneous consilium nutriebant, & declararunt, se petivisse confirmationem, qua Pontifex deferret reverentiam, obsequium, & executionem definitis ; unde apte scribit (a) Ill. Bossuet : " Tridentina Synodus, quæ ultimo decreto suo Romani Pontificis confirmationem peti jubet eorum, quæ a se decreta & definita essent, eosque intellexit eas definitiones vel tum valuisse, ut statim post eam confirmationem petitam acclamarit Cardinalis a Lotharingia : *Sacro-Sancta oecumenica Tridentina Synodus, ejus fidem confitemur, semper servemus.* Resp. *Semper confitemur, semper servemus.* Cardinalis : *Omnnes ita credimus, omnes idipsum sentimus, omnes consentientes, & amplectentes subscribimus :* Hæc est fides B. Petri & Apostolorum : hec est fides orthodoxorum. Resp. *Ita credimus, ita sentimus, ita subscribimus.* Cardinalis : His decretis inhærentes digni reddamur misericordiis - - - - Resp. *Fiat, fiat, amen, amen.* Cardinalis : *Anathema cunctis hæreticis.* Resp. *Anathema, anathema.* Talia sentientes, dum confirmationem petunt, quid aliud quam certa & valida magis magisque firmari, & inculcari petunt ? "

(a) *Defens. Declar. Cleri Gallic. part 3. lib. 8. cap. 7.*



* Concepista Bullæ: *Benedictus Deus, voleuit persuadere a Conciliis fuisse semper petitam, & a Pontificibus datam confirmationem: " Pro sua, ait, erga Sedem Apostolicam reverentia, antiquorum etiam Conciliorum vestigiis inhærens. &c. " Sed quam imperite id dixerit, intelliges, si ad retro dicta respicias. Ceterum dat etiam testimonium veritati, dum ait, decreta " confirmavimus, & ab omnibus Christi fidelibus suscipienda esse decrevimus; " sicque confirmationem refert ad decretum observantiæ, & executionis Concilii.*

§. CLVIII.

Dissensus Pontificis arguit solum fuisse illegitimum Concilium.

Synodos, inquies, non haberi oecumenicas, & legitimas, quibus Pontifices negarunt suam approbationem, sic Ariminensem, & Ephesinam II. non haberi pro oecumenicis, eo quod Pontifices illas reprobaverint. Verum dico, non ideo aliquas Synodos esse illegitimas, quod illis suum consensum Pontifices denegaverint; sed contra ideo consensum denegarunt, quod fuerint illegitimæ; sic Ariminensis fuit illegitima, quod contra canones cum exclusione Pontificis, & aliorum Episcoporum, & absque causa fuerit celebrata, quo pertinebat illud Athanasii: *Quæ nova heresis? Cur nova Synodus?* Ephesina II. item ipso jure fuit nulla, quod contra canones celebrata fuerit præpotentia Dioscori Episcopi Alex.

Alex. cum exclusione Pontificis, & aliorum bonorum. Unde dissensus Pontificis, sicut etiam dissensus aliorum, arguit quidem Concilium esse illegitimum, non vero illegitimum facit.



C A P U T X.

DE CIVITATIS JURE CONFIRMANDI CONCILIA.

§. CLIX.

Principes recte confirmant Concilia.

Principes optimo jure confirmant Concilia. Nam est nexus Ecclesiam inter & Civitatem, nec turbata Ecclesia, licet Civitati diutius frui perfecta pace, & tranquillitate. Hinc diximus, Principes, non solum jure advocatiæ, sed etiam jure Summi Imperii Civilis conservare pacem Ecclesiæ, & si turbetur, ad restituendam congregare Concilia, iisdem præsidere, eadem dirigere, & ad optatum exitum perducere. Atqui non juvat, definiti veritatem, controversiasque terminari, nisi stetur definitis. Igitur Principes eodem jure, quo cetera curant, immo potiore, confirming decreta, & definitiones Conciliorum, ipsisque dant vim legis, & Civilis executionis.

§. CLX.

§. CLX.

Id prodest Ecclesiæ.

Id prodest Ecclesiæ. Est enim ejus auctoritas spiritualis, & ejusdem coactio consistit in privatione bonorum spiritualium, quorum subtractio illos solum afficit, & movet, qui cum Religione non exuerunt animum, & gustum spiritualium bonorum. Sed in Conciliis Ecclesia passim ferulam animadversionis adhibet in refractarios, contemptores, eosque, quibus spiritualia non sapiunt. Igitur contra talium insultus recte munitur vallo Legum, & munimine.

§. CLXI.

Utrumque probatur factis constantibus Conciliorum ; Nicæni I.

Utrumque intelligimus ex factis constantibus Civitatis, & Ecclesiæ, quibus Civitas Conciliorum decreta legibus confirmavit; Ecclesia vero id expetiit, laudavit, probavit. Lustremus singula breviter. Patres Nicæni suam definitionem confirmandam obtulerunt Constantino M. Is vero eandem suscepit, suscipique mandavit sub pœna exilii, comburi item scripta Arii, ea vero detineri prohibuit sub pœna capitinis, teste (a) Gelasio Cyziceno.

(a)

(a) Lib. 2. Actio. Conc. Nic. cap. 26. „ Re-
 „ feruntur igitur ad pium & Illustrissimum Im-
 „ peratorem quæcunque a Synodo fuerant judi-
 „ cata, & sententia contra Dei hostes lata, &
 „ orthodoxæ fidei expositio, quam ut divinitus
 „ oblatam libenter, & magna cum reverentia
 „ excepit, hostes autem ejus tanquam Deo ad-
 „ versantes exilio multandos censuit. “ Et ibi-
 „ dem cap. 36. refert Divam Constantini ad Epis-
 „ copos, & populos, in qua notanter legimus:
 „ Si quod autem Scriptum ab Ario compositum
 „ reperiatur, igni tradatur: ut non modo im-
 „ proba ejus doctrina tollatur, verum etiam
 „ ne monumentum quidem aliquod ejus relin-
 „ quatur. Illud equidem prædictum volo, si-
 „ quis libellum aliquem ab Ario conscriptum
 „ occultasse deprehensus sit, nec continuo eum
 „ prolatum igne absumperit, morte mulctabi-
 „ tur: illoco namque in criminis tali compre-
 „ hensus poenam capitis luat.“

§. CLXII.

Constantinop. I.

Patres Concilii CP. I. supplicarunt in sua
Synodica (a) ad Theodosium Imp. “ Roga-
 „ mus igitur tuam Clementiam, ut per literas
 „ quoque tuæ Pietatis ratum habeatur Conci-
 „ lii *decretum*: ut sicuti literis, quibus nos
 „ convocasti, Ecclesiam honore prosecutus
 „ es, ita etiam finem eorum quæ decreta
 „ sunt, obsignes. “ Patrum petitioni indulxit
 Theodosius, quoque suffragio *Synodi* decreta
 confirmavit, teste (b) Sozomeno.

(a)

(a) *Apud Labbé tom. II. pag. 945.* (b) *Lib. 7.*

Hist. Eccl. cap. 9.

* Sollicitudinis Christianæ Theodosii I. vestigia habemus in Codice Justinianeo. Eodem enim quo assumpitus est ad Imperium, ann 379. Impp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius dederunt Edictum ad Hesperium Præfectum Prætorii, quo districte prohibentur omnes hæreses, iisque declarantur hæretici, qui “ vel „ levi argumento a judicio Catholicae Religio „ nis, & tramite detecti fuerint, deviare. “ l. omnes 2. Cod. de hæret. Idem Impp. anno sequenti 380. dederunt Edictum ad populum Urbis Constantinop., quo sibi subditos cunctos populos in tali jubebant Religione versari, quam D. Petrus Apostolus tradidit, ejusque Successor Damasus, & Petrus Alexandriæ Episcopus profitebantur, a quorum fide quicumque essent alieni & divina vindicta & Imperiali ultiōne, tanquam infames hæretici, plectendi edicebantur. l. cunctos 1. Cod. de Summ. Trin. Anno sequenti 381. dederunt item Edictum ad Eutropium Præfectum Prætorium, quo “ Nicænæ „ fidei dudum a majoribus traditæ, & divinæ „ Religionis testimonio, atque assertione firma „ tæ observantia semper mansura “ demandabatur, fidei Nicænæ professio exponebatur, hæreticis illicitas agere intra Oppida Congregationes vetabatur sub pena exilii, & Catholicis reddi Ecclesias toto orbe præcipiebatur. l. Nullus. 2. Cod. de Summ. Trin.

§. CLXIII.

Ephesini.

Patres Ephesini in sua *Synodica* (a) ad Theodosium, & Valentinianum Impp. relatis actis

actis contra Nestorium, “ Vestram ergo,
 ” ajunt, Majestatem iterum atque iterum ro-
 ” gatam cupimus, ut universam illius *doctrinam*
 ” a Sanctissimis Ecclesiis submoveri, ejusdem-
 ” que *libros* ubicumque locorum repertos flam-
 ” mis tradi jubeat - - - Quod si quis vestras
 ” sanctiones spreverit, ille vestræ dominatio-
 ” nis indignationem formidet. Sic enim A-
 ” postolica fides per vestram Pietatem *munita*,
 ” persistet illæsa, & nos omnes intentas pro
 ” vestra Majestate preces fundemus, per quam
 ” & Christus glorificatur, & fides robatur,
 ” & gratia Dei omnibus hominibus illustris
 ” redditur. “ Ad Patrum petitionem Impera-
 ” tores (b) Lege sanciverunt, Nestorii sequaces
 Simonianorum nomine appellandos esse. De-
 creverunt “ præterea ne quis impios nefarii,
 ” sacrilegique Nestorii *libros*, quos de sacra
 ” Orthodoxorum religione & adversus dog-
 ” mata Episcoporum, qui in **Sacra Ephesina**
 ” **Synodo** convenerunt, edidit, *habeat*, aut
 ” *transcribat*: quos omni studio ac diligentia
 ” undeaque conquisitos publice concrema-
 ” ri“ voluerunt. Prohibuerunt, ullam “ do-
 ” mum, aut agrum, aut suburbanum, aut a-
 ” lium quemcumque locum **Conventus causa**
 ” occulte, aut manifeste eisdem concedi. “
 Demum decreverunt, Nestorianos “ omni
 ” **Conventus** habendi facultate privatos esse, “
 addentes sanctionem: “ Cum neminem omnino
 ” latere debeat, quod quicunque nostram

„ hanc legem transgressus fuerit, & Nestorium imitatus omnium bonorum amissione multabitur. “

(a) Act. I. Conc. Ephes. apud. Labbe tom. III.
pag. 567.

(b) Edictum ad Leontium Praefectum Urbi anno 435. Extat part. 3. cap. 45. Conc. Ephes. apud Labbe ibid. pag. 1209. item inter Leges Justinianae l. Damnato. 6. Cod. de Hæret.

* Theodosius II. & Valentinianus III. derunt etiam anno 449. Edictum Hormisdæ Praefecto, sancientes, “ de cetero nulli paten-
,, te licentia præter expositam fidem (ut dixi-
,, mus) tam Nicææ, quam Ephesi, aliud quid
,, vel dicere vel docere, transgressoribus nimi-
,, rum hujus nostri divini præcepti, ei poenæ,
,, quæ continentur lata aduersus impiam Nestorii
fidem lege subjiciendis; “ scripta quoque, non
secus ac Constantinus Arii, majore rigore ju-
bent extradi. & comburi sub poena ultimi sup-
plicii Extat l. Decere. 3. Cod. de summ. Trin. Alios
quoscumque hæreticos represserunt Edicto, quod
extat l. Arian. 5. Cod. de Hæret.

§. CLXIV.

Chalcedonensis.


Patres Chalcedonenses Act. IV. (a) referunt Pulcheriæ Augustæ damnationem Dioscori, & petunt judicii sui confirmationem: “ Unde præsumentes, ajunt, ea quæ placuerunt, vestro insinuamus Imperio, ut illum pro suis erroribus execretur, nostram vero sen-

„ sententiam probet, a quibus pro totius cor-
 „ poris providentia, quod computruerat, est
 „ abscissum. Estote igitur incolium pro-
 „ tectores, & sicut pii roborate fideles &c.“
 Marcianus *Act. VI.* in sua Allocutione (b)
 ad Synodum affirmat, se “ad fidem confir-
 „ mandam, non ad potentiam aliquam exer-
 „ cendam - - - Synodo interesse voluisse.“
 Post eam allocutionem Imperatoris Aetius Ar-
 chidiaconus recitavit fidei definitionem *Actione*
præc. Patribus prælectam, & probatam,
 quam Patres, rursus probarunt, & signarunt,
 præsente, & volente Imperatore, & Imperator
 tunc ad omnem de cetero occasionem conten-
 tionis de fidei religione penitus amputandam
 statuit: “Siquis Idiota, vel militaris, seu
 „ Clericus publice de fide turbam congregans,
 „ sub obtentu disputationis tumultum fecerit,
 „ sciat, quia siquidem idiota fit ab urbe Re-
 „ gia expelletur: militaris vero & Clericus
 „ gradus sui periculum sustinebunt, & poenis
 „ aliis subjacebunt;“ quibus dictis acclama-
 runt Patres: “Multos annos Imperatori - - -
 „ Ecclesias tu erexisti, orthodoxam fidem tu
 „ confirmasti.“

(a) *In Relatione Synodic. apud Labbē tom. IV.*
 pag. 466.

(b) *Ibid. pag. 575. & seq.*

* Habetur apud Labbē tom. IV. pag. 841.
 Edictum Marciani Imp. ad Cives Constantinop.
 dat. III. idus Martii Sporatio, quo confirma-
 tur Synodus Chalcedonensis. Idem postmo-



dum Impp. Valentinianus, & Marcianus idibus Augusti anno 457. dederunt Edictum Palladio Præfecto Prætorio, quo eos, qui non recipiebant quatuor Synodos eousque celebratas, edicunt hæreticos, & tanquam hæreticos puniendos. Prohibent novas ordinationes Eutychianorum sub pœna exilii cum facultatum suarum amissione: Conventicula eorundem sub pœna addicendi orthodoxæ Ecclesiæ domos, vel possessiones, in quibus convenerint. Eutychiana hæresi infectos milites militia, Cives civitate prohibent. Insuper edicunt: " Nulli etiam contra venerabilem Chalcedonensem Synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere, atque emittere, aut aliorum scripta vel dicta super eadem re proferre. Nemmo hujusmodi habere libros, & sacrilega scriptorum audeat monumenta servare. Quod siqui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur. " De ea hæresi disputantes discendi causa puniuntur pœna decem librarum auri Fisco inferendarum; docentes vero puniuntur ultimo supplicio. Scripta & Chartæ hæresi Eutychiana infectæ extra di, & comburi jubentur. Moderatores denique Provinciarum, aliisque, ad quos cura Legum earumque executio pertinet, ad illius Edicti observantiam obligantur sub pœna infamiae, & decem librarum auri Fisco inferendarum. Exstat Edictum illud inter Leges communes l. Quicunque. 8. Cod. de Hæret. Vid. quoque l. Nemo 4. Cod. de Summ. Trin. in qua notanter Servi severissimis animadversionibus plecti jubentur.

§. CLXV.

Constantinop. II.

Quantum concurrerit Justinianus Imp. ad celebrationem Synodi V., loquuntur Acta illius Synodi. Condemnationem Trium Capitulorum prævenit suo Edicto adversus Tria Capitula.

* Justiniani Imp. studium circa Sacra manifestant tot Leges, quas tulit de personis, & rebus Ecclesiasticis. Hactenus laudavimus nonnulla ipsius Prædecessorum Edicta, quibus dedit locum inter suas Leges. Ipse fidem Catholicam Ephesini, & Chalcedonensis Concilii profitetur, & damnat atque anathematizat Nestorium, & Eutychen. l. 5. & 6. Cod. de Summ. Trin. inculcat fidem quatuor Oecumenicorum Conciliorum, & eos, qui illa non recipiunt, tanquam hæreticos damnat, & anathematizat l. 7. Cod. eodem.

§. CLXVI.

Constantinop. III.

Patres Concilii CP. III. Act. XVIII.

(a) Imperatorem excitant notanter ad *morem*, & temporum præcedentium consuetudinem: “ His quæ a nobis definita sunt, ajunt, signaculum tribue, vestram in *scripto* Imperialem ratihabitionem, & per Edicta Divalia atque pias Constitutiones *ex more* eorum omnium firmitatem, quatenus nullus his quæ gesta sunt, aut contradicat, novamve

„ quæstionem machinetur. “ Annuit Imperator petitioni, subscripsit Synodo, tulit Edictum (b), in quo “ His omnibus ita , ait, a „ Sancto hoc & Universali VI. Concilio constitutis (& per subscriptionem nostræ fortitudinis confirmatis) sancimus , ut nullus „ quoque omnino aliud quidquam de fide satagat - - Siquis vero hominum - - - præsentem nostram piam Constitutionem non recipit, siquidem Episcopus est, vel Clericus, „ aut Monachico circumdatus est habitu , deportationis pœnam exsolvet. Si vero in ordine Dignitatum insertus est, supplicio proscriptioonis multabitur, eique cingulum adimetur. Si autem Idioticæ sortis est, ex hac „ Regia , omniq[ue] penitus nostra Civitate extorris addicetur. “

(a) In Serm. Prophænetico apud Labbē tom. VI. (b) Ibid. Act. XVIII. pag. 1084.

§. CLXVII.

Nicæni II.

Concilii Nicæni II. Actioni VIII. & ultimæ (a) in Palatio, quod Magnaura vacatur , præsidens Irene simul cum regnante filio Constantino VI. jussit legi clara voce illius Concilii definitionem, quam lectam a Cosma Diacono quum Patres unanimi acclamatione probassent: “ Ita credimus , ita omnes sentimus ; omnes consentiendo subscriptimus - - - ”

Pa-

„ Patriarcha offert Imperatoribus lectum Definitionis tomum, *postulavitque cum universa Synodo*, ut consignaretur, & communiretur „ piis eorum subscriptionibus. Et accipiens — Imperatrix subscripsit, dabatque simul regnanti Filio, ut & ipse subscriberet. Quod ubi factum, reddita est Patriarchæ definitio per Stauracium — Patricium & Logothetam Dromi.“

(a) *Apud Labbé tom. VII. pag. 591.*

§. CLXVIII.

Constantinop. IV.

Demum Concilii CP. IV. *Act. X.* (a) legimus: “Basilius, Constantinus, & Leo per petui Augusti — Sanctam hanc & Universalem Synodus suscipientes, & omnibus quæ ab ipsa definita, & scripta sunt, concordantes, subscripsimus manu propria.” Post *Actionem X.* legitur exemplar Rescripti trium Imperatorum ad omnes particulares Sedes, in quo referunt judicium Synodi, & laudant.

(a) *Apud Labbé tom. VIII.*

* Basilio Imperatori honoris causa oblatus fuit a Synodo primus subscribendi locus. Verum ille recusavit, dicens sibi quidem in animo fuisse, post omnes Episcopos subscribere exemplo Constantini M., Theodosii, Marciani; sed quando ita placeret Patribus, se subscriptorum post Legatos Sedis Apostolicæ, & aliorum

Patriarcharum, uti & post illos subscriptis. Magis probo postremum subscribendi locum; accedit enim iudicio Ecclesiæ perfecto auctoritas Civitatis. Hodie vero dum Imperium est divisum in plures Civitates, ex ordine subscribendi meo iudicio non esset conjicienda præminentia Civitatis; sed studium duntaxat donandi Civitate Decreta Conciliorum; sicuti arbitror, Rempublicam Venetam suum studium præsetulisse solum, dum prima in suo Dominio publicavit Concilium Tridentinum. Demum observa, quam acuto scilicet, ac simul vero consilio Legati Pontificii Tridenti judicaverint, omittendas esse subscriptiones Legatorum Civitatum, eo quod illæ essent insolitæ; contra antea fuerint soliti subscribere solum ii, qui gaudent voto deliberativo, ut refert Sarpi lib. 8. Hist. Sed neglectarum subscriptionum effectus docuit difficultas, quam reperit publicatio Concilii Tridentini quamque exhibit Appendix annexa Historiæ Sarpianæ Edit. anni 1761. in Helmstat presso Jacopo Mulleri.

§. CLXIX.

Ex dictis concluditur.

Si hactenus deducta attento animo penderis, tot erues principia, quot concipi possunt reflexiones. Illud manifesto conficitur, quod agebamus, a tempore videlicet, quo Ecclesia donata est Civitate, fuisse illud iudicium universale, unanime, & constans usque ad tempora mutatæ disciplinæ, & incrementorum Papalium, recte confirmari auctoritate Civitatis definitiones, & decreta Con-

cio.

ciliorum. Id egerunt Imperatores. Id optavit, postulavit, laudavit Ecclesia.

* Referunt Adriani lib. 18. Thuanus lib. 36. fuisse offensos Romanos, quod publicatio, & acceptatio Concilii Tridentini facta fuerit in Hispania, & Belgio auctoritate Philippi II. Regis Hispaniarum, nulla facta mentione auctoritatis Summi Pontificis; an merito? collige ex dictis.

§. CLXX.

Effectus Confirmationis Civilis.

Porro illius constantis praxis Ecclesiæ, & Civitatis illum colligo effectum, quod Ecclesia, a quo donata est Civitate, evaserit legitima, legitimaque evaserint, quæque ad ipsam pertinent; attamen illa moderatione, quod quum ea, quæ Principi placent, Legis habent vigorem; si qua noviter definit, aut decernit, fiant legitima, si donentur Civitate: si placitum, consensus, auctoritas Principis accedat. Habuit semper, & conservat Ecclesia suam auctoritatem, quam a Christo recepit, eaque recte utitur, quoties expedit, vel oportet; sed ea auctoritas non est de hoc mundo, parit duntaxat effectus spirituales, neque inducit effectus Civiles, nisi quos placet, & prout placet Civitati. Unde in eo est summa totius intellectus & discretionis utriusque Potestatis, quod iidem sint Cives & Christiani; Christiani vero sint membra canonica, & legitima

Ecclesiæ. Ecclesia judicat de controversiis, easque definit, declarat hæreticos, pronunciat anathematos vulgo in eos, qui prius & canonice & legitime ipsius membra habebantur. Post judicium Ecclesiæ anathematizati cessant secundum conones esse membra Ecclesiæ, nec capiunt amplius fructum communionis. Sed per solum judicium Ecclesiæ non cessant secundum leges esse membra Ecclesiæ, nec privantur effectibus, quibus beneficio Civitatis alii Christiani fruuntur, nisi judicium Ecclesiæ confirmetur Civili auctoritate. Hinc adverte in allegatis; Theodosium I. definivisse, qui sint habendi hæretici, Justinianum dixisse anathema Nestorio, & Eutychi, utrumque inseruisse suis legibus fidei definitiones, Imperatores universim Synodos recepisse, latis Legibus confirmasse, ut quod obtinuit canonice per Ecclesiæ judicium, obtineret legitime per Legem Imperii; non tamen nisi quoad Civiles effectus, uti colligimus ex Sanctionibus, quæ consistunt in pœnis mortis, exilii, pecuniariorum, & similibus.

* Ex laudatis testimoniis colliges religiosam limitum Ecclesiæ observantiam. Patres primitus satis habuerunt, vibrare suos anathematos contra hæreticos, & siquid amplius exegisset pax publica, reliquerunt judicio Civitatis. Si qui privandi fuissent beneficiis, eorumque temporalitate, quia temporalia promptius vindicantur gladio, Patres solicite judicii sui confirmationem petiverunt a Civitate. De-

mum

Ecclæ

N

mum adeo abstinuerunt a quolibet corporali effectu, ut sortem librorum hæreticorum permisent curæ Civitatis, seu quoad usum, seu quoad prohibitionem, aut combustionem.

§. CLXXI.

Eiusdem Consilium.

Sed ratio Status Politici exigebat, ne quid decerneretur ab Ecclesia absque Civitatis auctoritate; præterquam enim expediret, ut sancte observarentur, quæ Ecclesia commendabiliter decernebat; erat Imperii providere, ne Decretis minus necessariis, vel minus expedientibus Cives gravarentur, ne contra reos nimia severitate procederetur, ne demum inopportune decernerentur, quibus poterat, vel absolute, vel ad tempus carere Ecclesia, ipsam carere exigebant forte tempora Civitatis.

* Eodem argumento observa Regii Placeti usum legitimum, rationabilem, commendabilem.





droog oppipionous, set comunitiosum,
tunne catus. Cittasie, non ducas tunc, non
lebas, ne quoniam pectoris pectoris
mum zabo spississimae & dollique co-cesseret.


CEXXI

Hirschauer Collection

Civiles", obispo castellano que separó la diócesis
de Toledo de la de Calatayud, y que en 1172
fue nombrado obispo de Calatayud por el rey
Alfonso VIII. Falleció en 1196.







7026/pma

ASSERTIONES
EX
UNIVERSA THEOLOGIA
DOGMATICA,
QUAS
IN ARCHIDUCALI ACADEMIA
LABACENSI
DIE AUGUSTI ANNO MDCCCLXXIX.

PUBLICE DEFENDENDAS SUSCEPIT

Rev. Erud. & Perdoctus Dominus

JOSEPHUS KALLAN,

Carn. Locopolitanus, Archidiœcesis Goritiensis Subdiaconus, ex Sem. Episc. Fundationis Schiffrianæ.

SS. Theologiae Auditor.

SUB PRÆSIDIO

JOSEPHI GREGORII LENAZ,
CANONICI ECCLESIAE CATHEDRALIS
PETENENSIS, PROTONOTARII APOSTOLICI, SS.
THEOLOGIAE DOCTORIS, ET CÆSAREO - REGII
PROFESSORIS PUBLICI, & ORDINARII,
& ALTIORUM SCHOLARUM
DIRECTORIS &c.



LABACI LITRIS EGERIANIS.

IN ARCHIDUCALI ACADEMIA

DABAGENZI

— 16 —
MCCCLXII ANNO MDCCEXXII.

JOSEPHUS NADIA

Digitized by Google

OSIRIS GREGORIANUS

McGraw-Hill CATHERINES

THE BOSTON PUBLIC LIBRARY
1900-1901

MINIMUM STOKUM SEDIMENTATION



LAWAT LITRIS BORNEIA

030035956



ASSERTIONES.

- I. Religio, non solum interni, sed etiam externi cultus, debetur Deo.
- II. Naturalis est insufficiens præsenti hominum naturæ curandæ, atque ad finem suum perducendæ.
- III. Est igitur necessaria Revelatio, quam existere ex Prophetiis, & Miraculis evincimus.
- IV. Continetur in Sacris Libris V. & N. Testamenti.
- V. Præter quos admittenda est Divino-Apostolica Traditio.
- VI. Dei existentis argumentum est mundi hujus aspectus,
- VII. Qui Philosophos etiam convincit,
- VIII. Et omnino non patitur Atheismum negativum inculpabilem.
- IX. Est Deus Unus, nec sunt, nec esse possunt plures, non duo, quorum alter bonus, malus alter esset.

- X. Unde condemnabilis fuit Gentilium superstitione, seu coluerint ipsa Idola, seu Idolis insidentia Numina, uti sibi imaginabantur nonnulli.
- XI. Est quoque Deus Trinus in Personis.
- XII. Filius est Deus, & consubstantialis Patri.
- XIII. Nec error contrarius in Ecclesia potest tolerari, aut unquam fuit toleratus.
- XIV. Spiritus S. est vera Persona, eaque Divina, Patri, Filioque consubstantialis.
- XV. Procedit vere, atque interne a Filio, non minus, quam a Patre.
- XVI. Mysterium SS. Trinitatis superat quidem longe rationem naturalem;
- XVII. Attamen rectae rationi non repugnat.
- XVIII. Deus hunc mundum in tempore ex nihilo creavit.
- XIX. In mundo primum hominem creavit Adamum, ante quem alios praexituisse, est fabula Præadamicarum.
- XX.



- XX. Mundum, in eoque res omnes,
minimas etiam prōvide regit, atque
administrat.
- XXI. Neque evincitur aliud ex malis,
seu physicis, seu moralibus, quæ
istic contingunt.
- XXII. Lapsus Protoplastarum imputa-
tur eorum posteris.
- XXIII. Inde orta est necessitas Divini
Liberatoris.
- XXIV. Cujus promissio facta est Pro-
toplascis.
- XXV. Et propagata, depositaque de-
mum apud Abrahæ posteros.
- XXVI. Eundem advenisse demonstra-
mus ex Vaticinio Jacobi Genes. XLIX.
8. & seq.
- XXII. Item ex Vaticiniis Danielis IX.
24. & seq. Aggæi II. 8. Malachiæ III.
1.
- XXVIII. Item ex præsenti exilii, dis-
persionis, excoecationis Judæorum
statu, cuius causas alias in cassum
fingit Isaacus Orobius Hebræus.

XXIX. Demum ex Gentilium, abjectis
Idolis, ad veri Dei cultum conver-
sione.

XXX. Et JESUS NAZARENUS.

XXXI. Ipsum concepit, & peperit B.
MARIA illæso Virginitatis candore
juxta Vaticinium *Isaiæ VII. 14.*

XXXII. Pœnas peccatis nostris debitas.
in se suscepit: & quidem per veram
substitutionem.

XXXIII. Nos redemit vere soluto pre-
tio, quod persolvit crucis præsertim
sacrificio, cuius virtute expiata sunt
nostra delicta, nosque Deo sumus
reconciliati.


XXXIV. Ecclesia, quam instituit, du-
rabit usque ad finem mundi.

XXXV. Eidem dedit leges, non solum
fidei & credendi, sed morum etiam
& agendi.

XXXVI. Eidem reliquit *Claves*, & in
Clavibus multiplicem potestatem.

XXXVII. *Claves* dedit omnibus Apo-
stolis, easque voluit transmitti ad
ipforum Successores.

XXXVIII.



XXXVIII. Unde Episcopi sunt ex di-
vina , eaque immediate institutione.

XXXIX. B. Petro in ceteros Apostolos
dedit Primum honoris , & jurisdi-
ctionis.

XL. Qui transit ad B. Petri Successores,
qui hactenus *de facto* sunt Romani E-
piscopi.

XLI. Instituit in Ecclesia verum Sacri-
ficium , quod consistit in Eucharistica
panis & vini oblatione.

XLII. Est enim Sacerdos secundum ordi-
nem Melchisedech Psal. CIV. 4.

XLIII. Voluit nobis applicari merita
sua primo: *Gratia Medicinali* , quæ
consistit in mentis illustratione , &
vel maxime in motione voluntatis ,
seu inspiratione charitatis , & sanctæ
dilectionis.

XLIV. Quæ est necessaria ad initium ,
progressum , consummationem ope-
rum salutarium: ad primos quoque
piæ credulitatis affectus: ad singu-
los actus salutares etiam hominibus
justis: nec non ad perseverandum in
accepta justitia.

XLV.

XLV. Secundo: *Sacramentis*, quæ sunt septem, nec plura, nec pauciora.

XLVI. Conferunt gratiam ex *opere operato*,

XLVII. Et ex iis Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt Charactrem.

XLVIII. Peccata in justificatione non teguntur solum, aut extrinsece condonantur; sed vere remittuntur, ac prorsus delentur, & peccatores non justificantur per externam imputacionem Justitiae CHRISTI, sed per internam gratiae infusionem.

XLIX. Dari Purgatorium dogma fidei est.

L. Ut & dogma fidei est, poenas inferni esse æternas.





